



MEDITATIONEM  
DE  
**POENA DIVINA**  
LEGINATURALI  
ANNEXA

6-1995  
27.  
1773, 10.

EX RATIONIS PRINCIPIIS DUCTAM  
PERMITTENTE  
AMPLISSIMO  
PHILOSOPHORUM ORDINE  
IN ACADEMIA LIPSIENSI

62

*D. IX. SEPTEMB. MDCCXIII.*

SUB PRÆSIDIO  
**M. DANIELIS GOTTLIB  
METZLERI**

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
RESPONDENS

**DAVID GOTTLOB BURCARDUS,**  
DOEBELA MISNICUS.

---

LIPSIÆ,  
LITERIS JOHANNIS KNAUTH.





1996.

# VIRO

Plurimum Reverendo, atque Amplissimo,

DOMINO

M. JOHANNI TOBLÆ GUTBIERIO,

Pastori Ecclesiæ Doebelensis longe Meritissimo, atque

Osfitiensis Ephoriæ Adjuncto Gravissimo

*cæterisque*

Perquam Reverendis sacri Ministerii ejus Ecclesiæ

MEMBRIS

debito cultu venerandis.

*Nec non*

# VIRIS

Prænobilissimis, Amplissimis, Doctrina, Consiliorum  
prudencia multoque rerum civilium usu

Præstantissimis,

# CONSULIBUS, PRÆTORIBUS,

# ET RELIQUIS

ad ordinem Senatorium Doebelensem pertinentibus

# VIRIS SPECTATISSIMIS,

# Patronis atque Fautoribus ætatem Colendis,

Hanc Meditationem

eo

quo par est,

Pietatis honorisque adfectu quam devotissimo

*offert & sacram esse cupit*

# DAVID GOTTLÖB BURCARDUS,

Philos. & Theol. Stud.





A. & ω.



Utervacanea de pœnis divinis videri poterit tractatio, quum  
 usus ejus, quem in dirigendis hominum actionibus prestare  
 possit, a plerisque vel nullus vel exiguus esse existimetur.  
 Servilis dicunt, non ingenui, esse animi, pœnis ad officium  
 excitari, sapientem virtuti dare operam debero non metu  
 pœne, sed virtutis studio, unde tritum illud natum: Ode-  
 runt peccare mali formidine pœne, oderunt peccare boni virtutis amore:  
 virtutem sibi ipsi maximum esse premium, quippe quæ ad hoc ipsum compa-  
 rata sit, ut motibus animi in ordinem redactis, causisq; omnium perturbati-  
 onum remotis, tranquillitas mentis tot hominum votis expetita sensim procu-  
 retur: obsequium nullum esse verum, quod timorem mali ex neglecto officio  
 existentis pro principio agnoscat. Sed istis neutiquam tantum pondus in-  
 est, ut nos a presenti nostro instituto abstrahere possint. Concedo eum, qui  
 in sapientia via paulo longius fuit progressus, minime pœnis adactum ad of-  
 ficiam suam se debere convertere. Attamen primo certum est, non omnes  
 homines esse sapientes, sed maximam partem metu coerceri, alios autem in  
 limine sapientiæ adhuc versari, qui proinde cum affectuum vehementissi-  
 morum cohorte, duce ratione, molestissimam inire pugnam necesse habent,  
 in qua, solius rationis dictamine non sufficiente, affectus omnino conven-  
 nientes commovendi sunt, usq; dum procella passionum paulo magis fuerint  
 sedate: deinde ipse quoque sapiens confirmatus non prorsus omnem pœnarum  
 divinarum in exercitio virtutis negligit considerationem. Licet enim  
 porrius ideo virtuti det operam, quoniam DEUM, supremam omnium  
 rerum causam, ita velle intelligit, atq; ideo a vitiis absteat, quod ea  
 voluntati DEI contraria esse perspectum habet: hoc ipsum tamen simul ad  
 venerationem summi Numinis pertinere statuit, ut Majestati, potentie, ac au-  
 thoritati ejus justum statuens pretium metum concipiat, ac summopere  
 caveat,



caveat, ne quicquam eorum, quæ legi ejus sint opposita, temere committat. Unde si intra istos venerationis limites timor iste contineatur, neutriquam veram virtutis indolem evertit, nec amorem summi Numinis, ex quo omne verum ac promptum obsequium derivatur, excludit, sed cum eodem probe consistere, & in una sede morari potest, quandoquidem omnis amor adversus superiorem, reverentiam ejusdem submissam conjunctam sibi habet: ut adeo consideratio poenarum divinarum, & exinde conceptus timor sapiente ac vera virtutis studio minime sit indignus.

Quemadmodum vero hæc, quæ hactenus fuerunt prolata, faciunt, ut minime ab instituto nostro deterreri nos patiamur: ita nos ad hanc operam suscipiendam imprimis infligavit, quod paucos sanum de poenis divinis conceptum fovere deprehenderimus, aliis eas plane negantibus, aliis humanis imbecillitatibus & variis præjudiciis id, quod divinæ potentia, & auctoritatis debebat esse documentum, corrumpentibus. Utrique hominum generi quamam medicina a sana ratione parata sit, pro nostrarum virium modulo evolvere in hac dissertatione conabimur, in duo capita quicquid ea de re meditati sumus digesturi, atq; in primo de principiis, ex quibus hæc tractatio deducenda est, itemque de existentia poenæ divinæ acturi, in altero vero naturam, & quæ ex ea fluunt, paulo attentius consideraturi.

## CAPVT I.

## DE

Principiis & existentia poenæ  
divinæ.

## §. I.



T ex primis fontibus meditationem nostram derivemus, plurima malorum, quibus in humanis poenarum nomen competit, indubitata exempla quilibet sibi sistat, revocando sibi in memoriam, quibus malorum generibus unquam ab hominibus poenæ nomen tributum esse meminuit. Nos ea hoc loco recensere super sedemus, quum ea cuius ad mala civibus a Magistratu inflictæ attendenti sint obvia. In istis



istis exemplis sequentes conceptus communes observamus: In quibusdam pœnis videmus homini punito malestum aliquid esse *faciendum*, ut iis, qui ad triremes & ergastula publica damnantur; in quibusdam aliquo *patiendum*. In omnibus autem pœnis malum, quod averfatur humana natura, infligitur: istud malum vel positivum est, vel privativum: In quibusdam pœnis malum hoc pertinet ad bona corporis, in aliis ad bona fortunæ, existimationem &c. In omni pœna hoc occurrit, quod infligantur ob delictum, s. ob legem violatam: in omni pœna legit me infligenda delictum debet sufficientibus probationibus niti: nulla pœna potest infligi nisi ab imperante: omnis pœna & legem præsupponit, & pertinet ad legis atque legislatoris auctoritatem tuendam, ad alios a delictis iisdem & similibus societatem turbantibus deterrendos, ad emendationem vel enervationem delinquentis, vel ad securitatem læsi aut totius societatis. Pœna denique non tollit obligationem ad damnum reparandum, si quidem istud reparare in delinquentis situm sit potestate.

§. II.

Ex iis, quæ notavimus, si conceptus essentielles atque accidentales probe distinxeris, facili negotio nascitur definitio pœnæ, quod sit malum ab imperante ob legem violatam infligendum ad tuendam ejus auctoritatem legislativam. Sic patet, quomodo pœna differat tum a vindicta, quippe quæ non ab imperante, sed a quovis privato usu, ex affectus impotentia repetitur, tum a violenta defensione sui in casu necessitatis, tum ab aliis infortunatis casibus, ut a damno per furtum aut latrocinium illato, a jactura bonorum ex incendio existente, &c. Inter omnes autem circumstantias, quæ in hac materia maxime notatu dignæ sunt, attentionem meretur pœnarum humanarum finis, quem generali conceptu esse dicimus assertionem ac confirmationem auctoritatis legislativæ. Ex hoc reliqui omnes fluunt tanquam subordinati. Inde enim fluit ex parte lædenti emendatio aut enervatio ejus, ut amplius non peccet, aut peccare possit: ex parte læsi, ejusdem securitas, cui consulitur, dum reliqui auctoritatem legum maxime vigere intelligunt: ex parte societatis, ejus tranquillitas, quæ necessario conservatur, ubi homines in societate viventes a violandis legibus per hoc ipsum, quod princeps leges suas tueatur & vindicet, avocantur: denique respectu legislatoris testimonium, quo civibus omnibus innotescat, eum serio voluisse & adhuc velle



velle cives suo imperio subjectos ad leges suas cum prompto obsequio servandas obligare,

## §. III.

His rite perpensis, quid per pœnam divinam intelligi debeat, obscurum haud esse potest. Sicut vero ea, quæ ad naturam ejus attinent, in secundo Capite plenius persequemur: ita nunc nobis potissimum in eo erit elaborandum, ut ex claris principiis ejusmodi pœnam divinam dari, demonstremus. Optime vero procedet demonstratio, si DEUM & posse & velle sibi adversantes punire, probatum fuerit. Quod DEUS possit eos, qui voluntati ejus sunt contrarii, gravissime imo infinitis modis punire, nullum est dubium, quum ipse a nobis cognoscatur tanquam Ens perfectissimum, quod potentia suæ luculenta & evidentia in creatione pariter & conservatione rerum omnium a se dependentium edidit specimina. Unde quemadmodum hominibus talia objecta sistere potest, quæ ipsum felicem possunt reddere: eadem ratione illis, quæ quomodocunque ad ejus felicitatem pertinent, subtractis, alia substituere potest, quibus miseria intolerabilis ei creatur. Ingenium quidem humanum innumeros cruciatuum excogitare potest modos, quibus atrociora scelera puniantur: sed tamen isti cruciatus omnes ultra vitam naturalem se non extendunt: da etiam, eos per multorum annorum seriem crudelitate tyrannorum continuari; spes tamen animosalit, fore ut tandem aliquando mors finem exoptatissimum illis imponat. At pœna divina non modo bonis quibusdam, sed omnibus, quæcunque allevationem quandam afferre possunt, bonis privat: animo, cuius tranquillitas & DEO nixa fiducia omnia tormenta tolerabilia facit, horrorem inevitabilem incutit, & ultra omnes fines, si DEUS velit, sese extendere potest.

## §. IV.

At in hoc jam totius rei cardo vertitur, ut DEUM velle adversus se impie rebellantes punire, firmissima ratione declaretur. Quemadmodum vero omnis pœna præsupponit legem: ita quoque certissimum ex natura legis ad probandam pœnam divinam petitur argumentum, quum omnis lex pœnam naturali nexu trahat, nec ulla lex rata ac inviolabilis sine pœna esse possit. Quilibet mediocri rationis usu pollens intelligit, hanc argumentationem esse invictissimam, dummodo clare & solide probari possit, dari legem divinam, vel DEUM per modum legis actiones hominum circum-

scri-



scripsisse. Quanquam vero hæc ipsa materia magis profundam & peculiarem meditationem requirat: cum tamen campum, prout nostri instituti ratio patietur, hoc tempore ingredi non pigebit, ut sic ea, quæ huic fundamento deinceps superstruentur, cum solida mentis convictione recipiantur. Per legem autem divinam, de qua jam paulo fusius disseremus, intelligimus jussum DEI beneficio rationis manifestatum hominesque ad certas actiones suscipiendas aut omittendas obligantem. Obligare autem alterum ad aliquid faciendum aut omittendum est ita libertatem alicujus agendi limitare, ut hic ad alterius voluntatem actiones suas conformare necesse habeat. Quibus conceptibus evolutis, jam in hac legis divinæ demonstratione ita versabimur, ut primo in genere §. V. -- XIII. & posthac in specie ad diversa hominum officia respectu habito legem divinam deducamus. §. XIV. ff. In genere legem divinam probaturis duo nobis expedienda sunt, primo demonstrandum, homines ad jussum s. legem DEI, si qua sit ipsis manifestata, observandam obligari §. V. quo facto cum accuratiori diligentia expendendum atque confirmandum erit, dari legem s. jussum DEI per rationem manifestatum, quo hominibus certas actiones suscipiendas, alias omittendas præscribat. §. VI. -- IX.

§. V.

Homines ad legem s. jussum DEI, si quis eis quæcunque modo clare manifestatus sit, diligentissime exequendum naturali & immutabili obligatione obstringi, satis manifestum erit, si constet, DEO summum homines obligandi jus competere, eundem quoque homines & posse & velle obligare. Summum DEO competit jus homines obligandi, tum quia eorum est auctor & conservator, a quo nos omnes, quanti quanti sumus, in essentia, in actionibus, in omnibus bonis, quibus fruimur, dependemus, cujus bonitate nunquam carere, sine cujus voluntate ne ad momentum quidem temporis subsistere, halitum trahere, ullum cogitationum, aut affectuum, aut actuum corporis motum elicere possumus: tum quia naturam humanam ad actiones voluntati ipsius convenientes præstandas aptam condidit, si quidem nos non solum intellectu cognitionis legum capaci, verum etiam voluntate rationali, quæ dictamini & directioni intellectus cognoscentis sese submittere valet, instruxit: tum denique quoniam talia beneficia, quibus summopere ad conservationem & felicitatem nostram indigemus, in nos collocat, suumque erga nos amorem singularem luculentis indicis prodit.

Pro-





Producat, quisquis ille sit, ad jura imperii cujuspiam hominis vindicanda, tali argumenta. Quicquid tentaverint Juris naturalis doctores, plura obligationis argumenta proferre non potuerunt, quam potentiam superioris, & certum inferioris ob beneficia consensum Indigentia quorundam hominum in causa fuit, ut ipsi se aliis opulentioribus subicerent, iisque servilem operam præstarent: aliis jus belli imperium in illos, quibus vitam donassent, conferebat. At hæc dependentia nullo modo cum hominum dependentia a supremo Numine comparari potest: hæc enim in totam naturam, essentiam, facultates, actus & felicitatem hominum sese diffundit. Potest vero etiam homines ad obsequium obligare ob independentem potentiam, qua obsequentes maximis bonis, reluctantes autem inenarrabilibus malis afficere potest. Denique nec illud adeo obscurum est, DEUM velle homines obligare, h. e. velle, ut ipsi ad voluntatem, nutum & finem suum sese componant. Sane nullum ens rationale vult, suæ voluntati aliud ens, in quod perfectissimum habet imperium, quodque totum ab eo dependet, contraria agere. Quodlibet ens ratione præditum probat voluntatem suam: improbat ergo hoc ipso omne, quicquid voluntati ejus est adversum: unde fieri non potest, ut velit, quicquam eorum, in quæ potestatem habet, sibi adversari. Ens autem intelligens perfectissimum voluntatem suam perfectissimam multo magis probabit, & omne quicquid illi adversatur, odio & averfatione dignum judicabit.

## §. VI.

Jam porro dispiciemus, utrum ejusmodi lex s. jussus DEI beneficio rationis hominibus manifestatus, quo eis certas actiones suscipiendas aut omittendas præscribat, revera existat. Atque hoc opus, hic labor est. Sine operoso tamen labore id ipsum ex fine s. intentione DEI (nam in generalibus jam versamur) demonstratur. Hoc fundamentum ut rectius percipiatur, ad sequentia animum advertamus principia: I. *DEUS, qui auctor supremus est humane nature, facultates ejus creavit ad certum finem.* Nullum enim *ens rationale perfectum*, quale DEUS est, agit sine fine, nunquam operationem magni momenti edit, cujus non habeat finem certum, determinatum, & serio intentum, sed semper agit cum intentione, sibi que finem aliquem primarium habet propositum. Quemadmodum igitur DEUS, tanquam Ens intelligens perfectissimum totum hoc universum ita creavit, ut quælibet universi pars, & quælibet in illo mundi systemate natura pro  
ratio.



ratione indolis, subordinationis & loci sui, ad certum finem determinetur: ita etiam humana natura ad finem suis facultatibus & subordinationi convenientem creata esse colligitur. II.) *Finis facultatum humanarum* non potest esse alius, quam *usus earundem, s. actuales illarum motus & operationes:* quum nullus alius finis facultatum concessarum concipi possit. Isti autem motus facultatum humanarum, quos DEUS tanquam finem determinatum serio intendisse dici potest, III.) non sunt alii, quam *tales, qui cum ipsa natura humana ejusq. naturalibus ac necessariis relationibus, itemq. attributis perfectissimis & relationibus DEI adversus eam, & reliquas res creatas, nexum & convenientiam necessariam habent.* Motus autem nature humanæ necessario convenientes sunt illi, quibus *eadem intra præscriptos a DEO limites conservatur, ejusq. virtutes naturales* (i. e. vires ad ejus conservationem & veram perfectionem pertinentes) *vere augentur, atq. ad veram, cu jus illa pro loco & ordine suo, quem in rerum Systemate obtinet, capax est, perfectionem provehuntur.* Ejusmodi autem motus, quales modo delineavimus, *a DEO tanquam finem intendi,* paucis probandum, DEUM igitur *velle conservationem nature humane,* ex ipso sensu patet, quoniam scil. ipse virtutem largitur, vel (si ita tibi rem, de qua jam non disputabo, concipere malis) eam in prima creatione cum intentione indidit, per quam eadem in operationibus & viribus suis intra præscriptos limites conservatur. Nisi enim vellet ejus conservationem, profecto eam non ipse conservaret, vel non indidisset facultatem, ut conservetur. Taceo stimulum nature impressum, quo quisque ad sui conservationem naturali quadam vi rapitur. Porro *perfectionem humane nature, quam illa in hoc rerum statu assequi valet, esse finem a DEO intentum,* ex eo colligitur, quod ipse est *causa nature humane, uti totius universi, intelligens perfectissima.* Ens vero *intelligens perfectum,* quando aliquem effectum perfectionis capax cum intentione producit, illud sibi habet in illo effectu propositum, per quod effectus illius *natura maxime perficitur, & summe perfectionis,* cuius eam pro loco suo capax fecit, *particeps evadit:* præsertim quum hac ratione perfectionum cause ipsius gloria in producto effectu magis illustretur. Nimirum sic semper procedit nature Auctor in hoc mundi opificio, ut unum rerum creatarum genus alterum perfectionibus superet, & quem admodum quodvis facultatibus perfectioribus instruxit, ita operi excellentiori destinavit, & cuius generis et optimus & perfectissimus paterfamilias





3, alias suum munus & officium fideliter præstandum dedit, & pensum cui-  
 3, bet suum dispertivit. Prout igitur nobiliores potentias & facultates homi-  
 3, nibus concessit, ita actiones etiam nobiliores, & finem aliquem superio-  
 3, rem consequendum constituit. *Præterea DEUM tales in humana natu-  
 ra intendisse motus, qui cum relationibus ejus naturalibus ad varia obje-  
 cta, & horum relationibus ad humanam naturam, naturalem habent con-  
 venientiam, inde confirmatur, quod DEUS ipse istas relationes constituerit.*  
 Quum vero DEUS tanquam Ens intelligens perfectissimum velit, ut quodli-  
 bet rerum genus suæ naturæ, & subordinationi in mundi systemate conve-  
 nientes concipiat motus; sequitur eum etiam velle, ut homines circa alias  
 res usui suo expositas non aliter versentur, quam prout id tum humanæ,  
 tum ipsarum rerum relationibus, subordinationi ac fini creatoris circa illas,  
 est conveniens. Sic v. g. non nisi iis rebus ad cibum uti licet, quæ valetu-  
 dinem nostram juvant; contra ab iis, quæ nocere possint, quamvis sensibus  
 grata sint, abstinendum. Ita injustum esse colligimus, bruta ad animi libi-  
 dinem explendam male tractare. *Deniq; DEUM velle tales motus in natu-  
 ra humana, qui etiam cum perfectissima natura & relationibus DEI ad  
 quamvis naturam creatam connexionem habent, non obscure elucescit ex  
 eo, quod DEUS non possit non se ipsum amare, & perfectissima sue naturæ  
 convenientes edere actiones, unde porro sequitur, eum nullas actiones in  
 hominibus probare posse, quæ istis perfectionibus & relationibus hinc fluen-  
 tibus divinis non respondent. Plura, quæ ad hujus rei uberiores illustrati-  
 onem facere possint, infra §. XVI. dabimus. Quæ omnia eo pertinent, ut pa-  
 teat, DEUM tales motus & operationes in natura humana velle, quæ ejus in-  
 doli & relationibus necessario conveniunt, & cum perfectissimis divinæ na-  
 turæ attributis & relationibus naturali nexu gaudent. Quod vero easdem  
 tanquam *finem determinatum*, non vero ut *finem permissionis* velit, simul ex  
 dictis clarum est, quoniam scilicet, *illius finis*, quem DEUM intendisse diximus,  
*ad rerum naturam, & DEI attributa est naturalis ac necessaria relatio;*  
 DEUS autem, *nihil*, quod rerum naturis a seipso constitutis contrarium est,  
*velle*, ex eo, quod *earum auctor sit; nec quicquam*, quod suis perfectionibus  
 & relationibus naturalibus ad res creatas opponitur, *probare ex eo, quod ens  
 perfectissimum contra suas perfectiones & relationes naturales agere non  
 possit*, intelligitur.*



S. VII.

IV.) *DEUS dedit hominibus facultatem, ut ipsimet id, quod nature suae ejusque naturalibus relationibus, nec non divinis attributis naturali nexu convenit, & quid illis sit contrarium, cognoscere, atque ad illud voluntatis suae motibus tendere, hoc vero fugere queant.* Habent enim principia cognoscendi. Sic dantur principia cognoscendi, quae ad conservationem & per am perfectionem naturae humanae pertineat, ex ipsarum facultatum, quae operantur, & rerum, circa quas operantur naturis, ex objecti, per quod facultates perfici debent, ad eam relatione, & exinde in natura humana existentibus operationibus ac motibus, ex modo, quo facultates operantur, item ex comparatione ejusmodi perfectionis cum opposita perfectione apparente, aut corruptione, petenda. Utque res, quantum fieri potest, clarissimae luci exponatur, consideremus hominis in primis intellectum & voluntatem. Nemo tam rerum ignarus est, qui non intelligat, per veritatis cognitionem, h. e. per cognitionem objectorum talem, quae procedat secundum ipsam facultatum naturalium cognitioni destinatarum subordinationem, & omnia ad principium primum genuinum veritatis refert, verbo: per habitum recte ratiocinandi, & sensum veri ac falsi, intellectum maximo opere perfici, contra per errores & praesudicia, per excessum memoriae & ingenii corrupti, & cognitionem talem, quae non nisi auctoritate aliorum virorum in luce versantium nititur, & ab aliorum nutu pendet, natura hominis rationali esse indignissimam. Perpendamus utriusque cognitionis indolem. Intellectus erroribus ac praesudiciis imbutus, & sensu veri destitutus hominem reddit infelicissimum. Sapientiae verae expertus sibi multa mala ex stultitia & ignorantia sua attrahit, multa inania timet, libertatem conscientiae vinculis vanis constringit, ex aliorum opinionibus pendet, nec sibi suaeque salutis consulere potest, cujusvis astuti insidiiis expositus. Contraria ex parte verus sapiens ad res magni momenti expediendas est aptus, prudentia sua multos eventus tristissimos avertit, consilia aliorum perniciose praevidet iisque obicem ponit, non cogitur actiones suas ex aliorum consiliis & directione instituere, non pendet ab aliorum nutu, summam semper in agendo libertatem retinet, denique serena semper mentis tranquillitate gaudet. Voluntatem hominis tum perfici ipso sensu interno percipimus, quando ad intellectus dictamen sese convertit, eaque tantum bona appetit, quae intellectus fugit & de rebus judicans ei sistit, ea tantum mala averlatur, quae intellectus fugi-



enda esse recte pronunciat. Eandem porro perfici perfectissimum per fruitionem objectorum eam solida sva vitate afficientium, & facultates reliquas naturæ humanæ conservantium, augmentium, perfectientium, s. per acquiescentiam in veris naturæ humanæ bonis. Contraria ex parte corrumpitur voluntas, quando per cupiditates secum invicem pugnantes, & affectuum ultra mensuram & modum commotorum vehementiam turbatur, & misere excruciat. Eodem quoque modo corpus perficitur, quando ita in statu & ordine suo naturali omnes partes ejus conservantur & disponuntur, ut mens suas ministerio corporis functiones sine ullo impedimento, omnibus membris ad imperium suum paratis, obire possit. *Relationes rerum naturales ex ipsis earum naturis*, harumque inter se comparatione dijudicantur. *Deniq; quamvis limites*, quibus intellectus noster circumscribitur, non patiantur, ut perfectam divinarum perfectionum cognitionem habeamus: *ad aliquam tamen*, licet non adæquatam, *attributorum divinarum notitiam*, eamque talem, quæ ad nostras actiones dirigendas sufficere possit, patet aditus, manifestationem DEI in natura sequentibus: qua de re §. 16. nonnulla adjicientur. Quum vero *intellectus* humanus *principiis* instructus sit, quibus ad convenientiam actionum cum natura sua, ejusque relationibus, nec non cum naturæ divinæ attributis, (quousque illa nobis sunt cognita) cognoscendam opus habet: *voluntati* quoque *potentiam id, quod intellectus judicat, appetendi vel averfandi* natura inditam esse deprehendimus. Deprehendimus in voluntate varios motus amoris, timoris, spei, fiducia &c. & alios ejus generis concipiendi facultatem.

## §. VIII.

Ex istis duobus simul sumtis principiis (nempe quod DEUS in natura humana motus tales intenderit, qui ejus indoli & relationibus, itemque divinis perfectionibus necessario conveniunt, & quod homines facultatibus tales actiones cognoscendi & perficiendi instruxerit) jam sequitur plano nexu conclusio, *V. DEUM velle, ut homines tantum eas actiones suscipiant, in quibus illa convenientia conspicua est, reliquas, quæ cum naturæ humanæ & divinæ relationibus pugnant, omni studio evitent.* Quicquid enim Ens rationale intendit, illud vult. *VI. Voluntas DEI est voluntas summi imperantis.* DEUS enim summum in omnes res a se creatas habet imperium, vid. supra §. V. *Omnis voluntas imperantis est lex.* Lex enim nihil aliud est quam seria voluntas ejus, qui habet potestatem imperandi, & eo ipso, quod volun-



2007

voluntas imperantis est, legis & iustus nomen accipit. *Hinc ergo* id, quod hac demonstratione intendimus, consequitur, dari legem f. iustum DEI, quo libertas naturæ humanæ certis limitibus includitur, & ad certas tantum actiones faciendas, certas omittendas, determinatur atq; adstringitur.

§. IX.

Ab hac nostra argumentatione non multum differt ratiocinium aliorum Philosophorum ex felicitate hominis essentiali ductum, quod ita procedit: DEUS vult felicitatem hominum essentialem; E. vult tales ab hominibus suscipi actiones, quæ ad illam felicitatem essentialem procurandam pertinent, contra eas omitti, quæ eam impediunt aut evertunt. Voluntas legitimi superioris, maxime autem imperantis perfectissimi, publicata de moderandis inferiorum actionibus, est lex. E. voluntas DEI homines ad tales actiones, quæ ipsorum felicitati essentiali conveniunt, obligans, est lex. Unde dictamina rationis actionum cum essentiali humanæ naturæ felicitate convenientiam aut discrepantiam declarantia, legem divinā in natura ipsa humana publicatam exprimunt. At vero quum felicitas illa hominum essentialis nihil aliud sit, quam status beatus ex possessione & usu verorum bonorum, quæ cum natura humana ejusque facultatibus naturalem & necessarium nexum habent, resistans: patet, quod hoc argumentum præcipuum suum robur & lumen ex priori ratiocinio nostro accipiat, quam obrem etiam nos in ejus dilucidatione haud amplius morabimur.

§. X.

Antequam hinc discedamus, operæ pretium esse existimamus, pondus argumentorum, quibus nuper Auctor Gallicus, præstanti ingenio pollens, Mr. Martin de la religion naturelle P. II. c. 8. & 9. hanc doctrinam confirmare annis est, accuratius expendere. Scil. in genere dari legem naturalem, probat ex eo, quod detur realis distinctio inter virtutes & vitia, quodq; illa distinctio non sit arbitraria, ab humano tantum ingenio inventa, quæ quisque pro sua libidine admittere aut rejicere possit, sed quæ in ipsarum natura fundamentum habeat, adeoque immutabilis sit: hanc ipsam autem distinctionem præsupponere legem, cum qua essentialem relationem habeant virtutes & vitia, hæc, quatenus ei repugnant, illæ, quatenus ei conveniunt. Vid. c. 9 p. 397. Hanc argumentationem equidem penitus rejicere non ausim, ostendam tamen, quid præsupponi necessario debeat. Nisi si- mul demonstretur, vel demonstratum præsupponatur esse, dari aliquam cau-  
sam



sam superiorem imperantem, quæ virtutes intendat, vitia autem detestetur: minime ex reali differentia inter virtutes & vitia concludi poterit, per modum legis illas homini præcipi, hæc prohiberi. Nam sic facile Atheus concedet dari differentiam inter actiones, non omnes actiones eandem ad naturam humanam habere relationem, virtutes non esse vitia, vitia non esse virtutes, v. g. amorem aliorum hominum & odium eorundem realiter differre, sed nondum probatum esse clamabit, se obligari necessario ad operam virtutibus navandam, vitia fugienda, sed libertati suæ permittum esse, quicquid eorum eligere velit.

## §. XI.

Sed age perpendamus argumenta, quibus jam realem inter virtutes ac vitia differentiam dari, confirmat. Tria vero profert c. VIII. quorum primum petum est ex consensu omnium hominum & populorum. Dicit, omnes homines in eo consensisse, ut differentiam inter actiones statuerent, quibusdam virtutum, aliis vitiorum nomen tribuentes, nec ullum unquam, nisi in applicatione, sententiarum divortium fuisse; consensum autem tam universalem, tam antiquum, tam uniformem non posse esse ab educatione, quum nulla educatio ad omnes homines & populos sese extenderit: fuisse hanc sententiam inter omnes populos, in omnibus ætatibus, tum inter vulgum, tum inter philosophos receptum: neque dici posse philosophos hoc præjudicium ex plebe hausisse; hoc enim si quis excipiat, demonstrandum ei esse, eam sententiam esse præjudicium & errorem, in quo evolvendo philosophi non posuerint operam: se & ceteros philosophos consensum hunc argentes esse velut in possessione ejus sententiæ, se igitur non teneri ad possessionis suæ iustum titulum demonstrandum, sed proferendas esse ab altera parte claras & evidentes rationes, ipsos esse possessores male fidei: nisi hoc probatum fuerit, se jure suo antiquo uti, adeoque sibi non esse probandum, dari differentiam realem inter virtutem & vitium, sed adversariis evidentibus rationibus vi regularum & juris rectæ rationis demonstrandum esse, nullam dari. Vid. l. c. p. 383. -- 386. Verum respondeo I.) argumentum a consensu hominum petum, ad veritates ideales probandas plane nullam vim habere, adeoque in omni argumento, quod ex ideis & principis rationis est definiendum, perperam, & contra regulas Logicas adhiberi. Veritas ex eo non potest adstrui, quod aliqua sententia omnibus vel pluribus placeat: & quemadmodum aliqua sententia ex eo falsitatis non potest

con.



2009

convinci, quod paucos affectas inveniat, sic enim ipsa sanctissima Christianorum religio non esset vera, quam numerus eorum, qui eam vero assensum amplectuntur, minimam generis humani partem absolvat; ita vicissim ex consensu omnium vel plurimorum hominum nulla veritatis auctoritas sententiae alicui potest conciliari. Multitudo ita sentientium, sententiae nullum parit patrocinium. Dantur enim etiam errores communes in omnium fere animis invalescentes. Omnes olim existimaverunt, tantum tres dari partes mundi, sanguinem in circulum moveri omnes Medici negarunt &c. Pertinet enim testimonium non nisi ad probabilitatem historicam, & res facti, quae scilicet nobis non alia ratione quam per testimonium possunt innotescere: deinde etiam usum suum habent in argumentis idealibus, ubi novatorum exosum nomen declinare, & vulgi praedjudicio auctoritatis immergi odium effugere volumus. At ubi de convictione animi & veritatis demonstratione agitur, myriades testimoniorum nihil valent. Quum enim communes etiam errores inter homines regnent: quodnam quae sit erit criterium, quo communes errores & communes veritates a se invicem discernamus? Tandem igitur ad rationis dictamen & clara principia est deveniendum, quae primo loco si allegata fuerint, veritas firmis innixa fundamentis immota persistet, sive omnium consensum superbis allegationibus jectare possimus, sive minus. Si quis vero qui sententiam aliquam, claris rationis principiis adstruere poterat, infirmo argumento inhaereat, vix ab omni stultitia nota liber dicendus est. II. Argumento isto sapiens ideo abstinebit, non solum quia vitiosa est haec probandi methodus, quod jam ostendimus, sed etiam quoniam omnis disputatio vana erit, & non nisi in loquentiam inanem desinet. Scilicet (1) probatio consensus omnium hominum per inductionem, supra vires humanas in hoc argumento est posita. Quis enim & unde hoc scire potest, an omnes homines in eo vere consenserint, ut realem differentiam inter virtutes & vitia affirmarent? Si quis provocet ad consensum nationum: instare adhuc potest adversarius: unde ille profiti probari? quare porro: quis pro nationibus respondere debeat: an vulgus, an eruditi? quis veros eruditos omnes producere, eos recte a superficialibus discernere, quis eorum sententias cognoscere, quum paucorum eruditorum meditationes scriptis consignatas habeamus, quis de mente ipsorum, & an revera ita consenserint, certus esse possit? Temerarium autem, ne quid gravius dicam, omnino est, propositionis alicujus universalitatem, nullo alio fundamento, quam



quam defectu refutationis ab adversario præstandæ, subnixum, cum inaudita audacia asserere. Sane si hæc methodus mihi concedatur, quodlibet figmentum ingenii ego cum omnium applausu defendam. (2) Adversarius non potest obligari ad instantiam, utpote qui semper dubitare potest ob incognitum, vel ob defectum probationis. Negat adversarius *certitudinem assertionis* de universali consensu, quam quum nos per inductionem probare non possimus, negatio illa saltem hoc efficit, ut nos inde concludere nil possimus. Uterque igitur universalitatem illam in medio relinquere debet, sicque infectis rebus discedere. Taceo (3) quod adversarius possit opponere tot exempla Atheorum, ad quæ quicquid respondeas, non ad convictionem faciet, sed longis & inutilibus disputationibus fenestra aperietur. Hinc III. reliqua, quæ proferuntur, plane nullum pondus amplius habent. Neque illud rem in aprico constituit, si dicas, illum consensum universalem, i. e. consensum multorum populorum, non posse originem trahere ab educatione, quum nulla educatio ad omnes homines & populos sese extenderit. Respondebit adversarius: quidni traditio quædam in omnes vel saltem multos populos se diffundere possit? unde factum, ut omnes gentiles communi consensu multitudinem Deorum affirmaverint? annon ex commercio, quod inter ipsos intercessit, uti inter Romanos & Græcos, ejusmodi sententiæ hauriri potuerint? Illud autem IV. plane Sophisticum & ingenio disputatore non satis dignum est, ubi ad momentum quæstionis ventum fuerit, ab adversario velle exigere, ut ipse claris argumentis ostendat, sententiam, quam nos defendamus, esse præjudicium & errorem a vulgo haustum, & per sapientes traditum. Solent ita Sophistæ procedere, ut quando sibi in angustiis coactis probationes deficere vident, onus probandi in adversarium devolvant, & ab eo postuleat, ut probet contrarium. Valde recepta quidem in materiis magni momenti est hæc methodus, sed rectæ rationi e diametro contraria. Quasi vero non dari assertiones precariæ possint, quas neque affirmans solide probare, neque opponens clare refutare queat. Sic quilibet quodlibet fingere licebit. Hoc si valeat, Cartesius tuto asserere potest, duos parietes, si corpus omne ex spatio interjacente removeatur, statim ad se invicem esse accessuros: & alius dicere audacter poterit, in Saturno locum, quem infernalem dicunt, esse constitutum. V. Denique infirmum est, velle de possessione gloriari, nec eam deferere, nisi alter demonstraverit, nos esse possessores malæ fidei. Sane enim licet hoc in foro civili valeat,  
ncc



nec sine ratione ob tranquillitatem publicam ea methodus teneatur: in **cr**u-  
 ditione tamen solida & philosophia id non procedit, quum sententiæ anti-  
 quitas nullam auctoritatem rei, quæ aliunde non potest probari, afferat.  
 Quis sensu veri mediocri præditus neget, nos jure traditiones Pontificiorum  
 & auctoritatem Episcopi Romani rejicere, licet illi antiquitatem suam ja-  
 stent, & possessionem suam, quam tam longa annorum serie obtinuerint,  
 mirum in modum extollant? Eo igitur tandem res devolvetur, ut adver-  
 sarius eam regulam, quam Mr. Martin rectæ rationis juribus consentaneam  
 esse p. 386. pronunciat, eodem, imo majori jure invertat, & regerat, se  
 merito communem sententiam pro præjudicio habere, donec claris & soli-  
 dis rationibus demonstratur, eam pendere non posse ab educatione, sed ex  
 usu rationis traxisse originem. Dicere enim potest, se ea de re jam judici-  
 um suum suspendere: judicium vero a sapiente nunquam determinari nisi  
 ob rationem: qui autem aliquid expresse affirmat, vel negat, eo ipso, quod  
 judicium suum ad alterutram quæstionis partem determinat, rationem affir-  
 mationis vel negationis proferre debet.

## §. XII.

Secundum argumentum laudatus Auctor petit ex statu hominum futu-  
 ro post mortem, utpote qui aliis timoris, aliis spei & desiderii sit causa. Si  
 autem nullum detur discrimen reale inter virtutes & vitia: omnes æqualem  
 habere causam felicitatem futuram sperandi, & miseriam timendi: nullos sic  
 majus jus habere, ut sibi felicitatem summam promittant, quam alios; & illos,  
 qui mala maxima timeant, non majorem habere timendi causam, quam alii  
 habeant, quam obrem sibi spe futuræ felicitatis blandiantur. vid. p. 387-388.  
 Sed observo I. præsupponi in hoc argumento, dari statum animarum futu-  
 rum post hanc vitam, in quo aliis bene, aliis male futurum sit, saltem in quo  
 quibusdam ob actiones in hac vita patratas mala maxima sint expectanda.  
 Provocat Auctor ad probationes suas superiori capite traditas. In illo vero  
 duas potissimum adducit, primam a sapientia Dei, cui non sit congruum na-  
 turam tam excellentem, qualis anima sit, creasse in nihilum tandem redigen-  
 dam: alteram a misericordia & justitia Dei, quæ crimina impunita non pos-  
 sit dimittere, petitam. c. VII. p. 373-375. seqq. Quum vero prior illa probatio  
 duplicem illum statum haud probet: alteri erit inhærendum, & in pri-  
 mis argumento a justitia ducto. Dum ergo ait, Deum esse justum, ad-  
 eoque debitas illis, qui eriminum ac scelerum rei sunt, decernere debere pœ-  
 nas,



nas, Deum esse bonum, qui proinde præmia pietatis studiose distribuat: quid aliud facit, quam ut tacite præsupponat, dari crimina, & dari actiones pietatis nomine insigniendas. Si igitur exinde constat, quibusdam hominibus post hanc vitam ob actiones præmia collatum iri, aliis poenas infligendas esse, quod Deus sit justus, sceleribus poenas, & bonus, pietati præmia decernens: quomodo, quæso, jam ex hoc fundamento differentia realis inter actiones humanas derivari, sine *vicio sissimi circuli* notari potest? Plane igitur ordo omnis doctrinæ naturalis invertitur: *ordo enim nature* hic exigit, ut *primo lex Dei, & deinceps ex lege justitia divina, & status miseria legem violantibus* post hanc vitam *decretus* demonstretur. Sed ut æquissime cum Auctore celebrato agamus, ex c. VI. accersamus duo argumenta, quorum prius a desiderio immortalitatis & felicitatis post hanc vitam, posterius a remorsibus conscientie depromptum, & videamus, quid inde subsidii capi possit. Non disputabo jam de quæstione: an detur ad res æternas & cœlestes stimulus, quo homo, qui suam durationem non hoc ævo conclusam, nec salutem in bonis vitæ præsentis sitam esse existimat, ad futuram aliquam beatitudinem intimo mentis desiderio & appetitu occulto feratur? & quomodo ille a vana pervasione, & ludibrio phantasiæ discerni possit? Nec de eo contendam, utrum detur aliquis in conscientie remorsibus sensus futurarum poenarum, & quomodo ille ab inquietudine, atque timore, qui ex educatione & institutione fluat, distingui debeat? Neutrum vir sapiens temere negaverit, quum ex interna cujusvis perceptione res debeat decidi: neque si quis utrumque stimulum in se sentiat, eum temere negligendum, sed tanquam monitum summi Numinis accurate observandum & audiendum esse, sentio. Ipsa prudentia enim dicitur, in re tanti momenti, a qua vel summa felicitas, vel summa miseria nostra dependet, tutiorem viam nobis esse ingrediendam. Neque dubitem, ipsum internum sensum cuiusvis inservire posse loco criterii, quo uterque stimulus a lusu phantasiæ & reliquis motibus occasione educationis & idearum alias haustarum excitationis dignoscatur, quando certi sumus, eum non esse contra rationem, sed potius eidem optime respondere. Hoc tamen, quod ad nostrum scopum proxime accedit, observandum, quod hoc argumentum non feriat, nisi eos, qui sensum utriusque habuerint, adeoque valde particulare sit; nec omnibus applicandum. Sed hoc loco talia argumenta requiruntur, quæ omnibus convincendis conducunt.



§. XIII.

Tertium restat argumentum ex ipsa virtutum & vitiorum natura desumptum. Nimirum virtutem esse ait, omne id, quod rationis dictamini sit, conforme: vitium, quod a ratione recedat, vel eidem repugnet: talem, igitur esse differentiam inter virtutes & vitia, qualis conspiciatur inter actiones hominum secundum rationem, & inter actiones contra rationem institutas: omnes mentis nostrae sententias cum ratione debere convenire, ut & omnes voluntatis motus, quippe qui modo sint rationales, si rationi, convenient, modo irracionales, si rationi repugnent. Sed ex hac deductione quidem patet, esse differentiam inter virtutes & vitia, sed nondum probatum est, quod homines secundum rationem lege teneantur agere. Hanc ergo demonstrationem ab altiori principio repetere oportebat. Nihil amplius inde potest concludi, quam quod aliae actiones sint rationi congruae, aliae rationi contrariae: sed istud nondum est evictum, quod homo obligetur, ut actiones rationi congruas edat, nec ei contra rationem agere liceat. Ostendendum igitur erat, quod DEUS illas actiones jubeat, has prohibeat: id quod ex eo luculentissime probari posse putem, quia in ratione consistit essentia hominum, per quam ab aliis rebus creatis distinguitur: DEUS autem tanquam Ens intelligens perfectissimum quum velit, ut tales quodlibet eas creatum operationes edat, quae naturae ejus sunt convenientes; hominem quoque humanas i. e. rationales actiones producere, velle a nobis intelligitur. Deinde criteria generalia erant delineanda, ex quorum applicatione, quid rationi conveniret, quid minus, judicium solidum posset institui. Hoc ipsum vero licet ab Auctore omissum fuerit, ex nostris tamen meditationibus supra propositis facili negotio suppleri potest.

§. XIV.

Haecenus in genere dari legem divinam, ostendimus. Sed age, jam etiam in specie idem demonstrarems respectu ad officia tum erga DEUM, tum erga alios habito. Officia, quae homo immediate DEO debet, cultu ejusdem continentur. Per cultum autem DEI hoc loco intelligimus affectum animi humani conditoris sui praestantiam, perfectiones, ac Majestatem, ejusque erga humanam naturam affectum, & relationes, suam denique dependentiam ab eo, & obligationem naturalem, recte cognoscentis, atque ipsi cognitioni respondentis in voluntate venerationis, pietatis & devotionis motus excitantis. Tria in hoc capite expediemus, primo demonstrabimus, DEUM





UM dignum esse, qui colatur, deinde hominem aptum esse conditum ad cultum summi Numinis, qui & naturæ divinæ, & humanæ respondeat, præstandum, *deniq;* DEUM velle ac jubere, ut homines cultum sibi debitum exhibeant. His enim evolutis sponte sua enascetur conclusio, quod homo per modum legis ad cultum divinum obligetur. Ecquis vero deo, quod DEUS cultu, qui modo in vires humanas cadit, *se dignissimus*, ambigere potest, qui modo *ab una parte* summas illas DEI perfectiones nostrum captum longissime excedentes, impervestigabilem scientiam, inexhaustam potentiam, opulentissimam omnium bonorum affluentiam, & interminabilem vitæ beatissimæ possessionem, immensam ac omnes sapientiæ humanæ vel alius entis creati limites transcendentem sapientiam, immutabilem constantiam, venerandam Majestatem, illimitatam virtutem entibus intelligentibus summam, cujus capacia sunt, & æternam felicitatem tribuendi, omnem deniq; maximarum virtutum ac perfectionum tum intellectus tum voluntatis in omnium, quibus hoc universum continetur, omnis generis rerum, præcipue autem hominis, creatione, conservatione ac gubernatione pleno jubare radiantem gloriam, nec non singularem, quo homines præ reliquis entibus quæ in sensum nostrum incurrunt, complectitur, amorem, & sese cum illis conjungendi affectum, atque beneficiorum, quæ ab illo ad universum hominum genus totamq; eorum vitam promanant, magnitudinem attentis oculis intueatur: *ab altera autem parte* suam ad illud perfectissimum Ens naturalem & immutabilem relationem, qua totus ab illo dependet, ita, ut neq; esse, neq; ullius felicitatis sine illius favore & ope particeps fieri possit, recte contempletur? Porro si quis in seipsum mentis aciem convertat, & cognoscat, se non tantum intellectu, quamobrem veneratione, amore, obsequio summum Numen dignum sit, & qua ratione animus decentem cultum ei exhibiturus dispositus esse debeat, cognoscente, sed etiam voluntate esse præditum, quæ summi boni possessionem anxie anhelet & pro cognitionis modo, sese ad illud quærendum piosque affectus concipiendos suo quodam libero arbitrio determinare, corporisq; motus ad DEI præscriptum moderari queat: quomodo amplius negare poterit, *hominis facultates ad cultum DEI esse idoneas?*

## §. XV.

Deniq; velle DEUM hunc ipsum sui cultum, ratio haud obscure ex sequentibus fundamentis colligit: DEUS hominis *intellectui se manifesta-*  
vit



vit tanquam ens summe amabile, venerabile, omniq; obsequio, timore, spe, fiducia dignissimum, sine quo homo ne per minimum temporis spatium perdurare porest, & a quo omnem suam felicitatem expectare debet, verbo tanquam Ens perfectissimum, & summum hominis bonum: simul etiam ejusdem voluntatem ita creavit, ut summi alicujus ac perennis boni jucunditatem appetat, ut conjunctionem cum DEO desiderare, piosq; venerationis, amoris, fiducia, spei, obsequii, devotionis, admirationis, timoris motus concipere, nec in ulla re alia, quam in conjunctione, amore ac fruitione DEI acquiescere plene possit. An vero DEUS homini intellectum, quo ipsum cognoscat, voluntatem, qua amare, desiderare, venerari DEUM, eodq; frui possit, frustra & sine ullo fine concessisse dici potest? At hoc cum Entis intelligentis perfectissimi natura consistere nequit. Ergo quando DEUS homini sese ostendit amabilem, & cultu decentissimo dignum, quando voluntatem ejus amoris, & reliquorum pietatis religiosæ affectuum capacem fecit, finem, & usum earum facultatum sibi proprium habuit. Ille autem finis, & usus facultatum a DEO homini concessarum nullus alius esse potest quam affectus religionis & cultus cognitioni, quam homo de DEO habet, accurate conveniens: idq; partim ea de causa, quoniam cultus summi Numinis cum perfectissima DEI natura, ejuque immutabilibus ad homines relationibus prorsus necessarium habet nexum, §. 16. partim ideo, quoniam per cultum Entis perfectissimi religiosum ipsa hominum natura ad summum perfectionis & felicitatis gradum erexitur. §. 17.

## §. XVI.

Dico, cultum DEI religiosum cum perfectissima divina natura, ejusq; immutabilibus relationibus ad homines, naturalem & invariabilem habere nexum. Scilicet. I. Omnis natura perfecta, ob id ipsum, quod perfectiones habet, est venerabilis, & cultu perfectionibus ejus accommodato, per naturalem rerum nexum, digna, ita, ut quo majoribus illa perfectionibus splendet, tanto majorem mereatur cultum. Cultus enim nihil aliud est, quam affectus venerationis, ex justo, de alicujus rei præstantia & dignitate judicio, veroq; ci statuto precio resultans. Qualibet igitur perfectio suum involvit debitum æstimium. DEUS autem est Ens perfectionibus cogitatione nostra haud assequendis per naturam suam ornatum: infinita ejus sapientia, scientia, bonitas, potentia, summa Majestas, & reliquæ perfectiones ita per naturam sunt comparata, ut ab iis venerabilitatem separare ne utiquam liceat.



206.

Quicquid autem cum perfectissima DEI natura naturaliter cohæret, id DEUM certissime velle, nullum est dubium, quoniam *hoc ipsum Entis perfectissimi natura fert, ut semper suas perfectiones essentielles amet, nec quicquam nisi secundum perfectissimam suam naturam agat*, unde etiam si quid ab alio ente rationali a se creato perfici velit, per naturam suam non potest velle, ut quid eorum agat, quæ perfectionibus divinis sunt contraria. Unde aperte sequitur, (a) DEUM per naturam suam non posse velle, ut homo, quem facultate recte eum cognoscendi instruxit, ejus naturam alio, & perfectionibus suis plane contrario modo concipiat, aut colat. Scilicet quum nullus cultus institui imo nulla actio voluntatis suscipi possit, nisi prævia intellectus cognitione: ita quoque neque amare DEUM, neque venerari possumus, nisi quandam ejus animo concipiamus ideam, cujus indolem necessario sequitur cultus ratio. Qualis vero erit illa cognitio? qualis idea? Non certe alia esse debet, quam talis, *quæ cum principio nostro veritatis cohæret, seu, quæ cum manifestata DEI in operibus suis natura convenit*. Falsas enim de DEO concipere ideas, DEUM sibi representare sub mendaci imagine, v. g. *ut affectibus humanis, ambitione, voluptate, avaritia, & hinc dependentibus reliquis pravis motibus, cupiditate vindictæ, studio commoditatis, crudelitate, immiserordia, dogo Davidæ, simulatione clementiæ, & dissimulatione occultæ iræ, imbecillitate, quæ lacrymis, & reliquis gestibus marorem animi exprimentibus, impatiens precum humanarum, ad benignitatem, & condonationem reatus stertatur, & c. laborantem sibi eum sistere*, quid aliud est, quam perfectissimam DEI naturam abnegare? Eundem sub fallaci fictaque imagine colere, quid aliud est, quam *idolum adorne, sibi, & aliis vano illudere simulacro*? Igitur DEUS contraria ratione potius vult, ut omnia cogitata, omnia dicta, omnia facta ita dirigamus, *ut ex his pateat, nobis unice curæ cordique esse, ut DEUM, qualis est, & esse a nobis rationem secuti intelligi potest, cognoscamus, cognitumque amemus; ut pateat, nos omnia ea tum in nobis, tum in aliis detestari, quibus quomodo documque gloria divina abnegatur*. Ea autem abnegatur, quando eo modo actiones nostras instituimus, *ut, si ex illis conceptus & persuasio nostra de DEO judicanda esset, plane alium eum esse, quam ratio sana eum intelligit, colligendum esset*. Porro (b) ex allegato fundamento illud etiam necessario concludendum est, DEUM velle, ut quum ipse omnes perfectiones omnem præstantiam, & gloriam contineat, & suprema omnium rerum causa sit, homo eum tali veneratione, amore, &



pietate prosequatur, quæ alia cultuum genera longissime superat: DEUM-  
 que non probare posse illorum institutum, qui alia omnia perquirentes, di-  
 vinx naturæ, ejusque in rerum omnium creatione ac gubernatione relucen-  
 tium perfectionum, scientiæ, sapientiæ, potentiæ, bonitatis & reliquarum,  
 cognitionem tantum non in supervacaneis, aut *ἐν τοῖς παρεργοῖς* ponunt;  
 qui omnia, quæ cum dignitate virorum illustrium minus conveniunt, studi-  
 osum evitantes, de eo, quid DEO maxime placere possit, quid minus, nun-  
 quam cogitant. Præterea (c) inde clarum est, DEUM velle, ut homines  
 eum pro fonte omnium bonorum primo atque inexhausto agnoscant, ac  
 proinde fiduciam animi in solius DEI bonitate, potentia, & sapientia collo-  
 cent: quum aliud Ens supremæ illi causæ subordinatum pro prima causa  
 beneficiorum & felicitatis humanæ habere, & in eo totam animi sui fiduciam  
 atque acquiescentiam fixam tenere, sit perfectionem DEI summam & primam,  
 quæ primus omnium rerum & bonorum fons est, mente & ipso facto negare.  
 Simili ratione (d) quemadmodum DEUS est summe verax, falli ac fallere  
 nescius, ita velle non potest, ut homo ipse dictis, & si qua detur, revelationi  
 fidem ac auctoritatem derogat, sed potius vult, ut homo in ejus pronuncia-  
 tis pleno mentis assensu recumbat, quoniam ejusmodi assensus cum natura  
 DEI veracissima naturali vinculo colligatur. II. *Ens perfectissimum ideo,*  
*quod est perfectissimum, suas perfectiones, ut jam monitum fuit, amat, pro-*  
*batque: hinc autem necessario amat etiam illud, quod cum suis perfectio-*  
*nibus quandam analogiam habet, & quandam ad illas expressam imaginem*  
*refert. Unde etiam, si quam naturam perfectionum similitudinem talem*  
*experimentium capacem produxit, velit necesse est, ut hac in operationibus su-*  
*is, quantum potest, ei conformem se reddat. Sic quando DEUS est sapientis-*  
*simus, & omnia cum intentione, nil sine fine suis perfectionibus digno, agit,*  
*idem quoque ex eo, quod suas perfectiones, & quicquid cum illis aliquid com-*  
*mune habet, per naturam suam amat, velle censetur, ut homo suas actiones*  
*perlucente intellectus lumine, suscipiat, & ad justum suum finem dirigat.*  
*Idem de veracitate, constantia immutabilis & reliquis perfectionum divina-*  
*rum generibus, quæ ab homine possunt quodammodo referri, esto judicium.*  
 Ita quum DEUS suam voluntatem sapientissimam & naturæ divinæ conve-  
 nientissimam non possit non probare, voluntati ejus est consentaneum, ut  
 homo voluntatem suam supremæ voluntati DEI conformet. III. *Dantur*  
*relationes divine nature ad homines naturales, cum quibus voluntas DEI*

NON





*non potest non semper convenire, quum ipse illarum auctor sit.* Talis necessitaria & immutabilis relatio est, quod DEUS sit *prima hominum causa*, & conservator, a quo illi natura sua indigi, & impotentes in tota sua essentia & felicitate sua dependent. Ergo DEUS *non potest velle*, ut *tales sese gerant, quasi ab ipso in tota sua natura vel felicitate non dependeant.* DEUM porro cognoscimus ut *Ens potentissimū, cui nemo resistere valeat*, & quod infinitis modis punire potest. Ergo voluntas DEI non patitur, ut *ejus potentiam vilipendamus, nec metu legitimo pœnas divinas dignas judicemus.* Solus DEUS est *summum humane nature bonum, in cuius possessione per cognitionem & amorem hæc omni ex parte plenissime exsatiatur.* Quamobrem DEO non potest non esse adversum eorum studium, qui *felicitatem suam summam in rebus caducis & inanibus constituunt: contra velle eum, certum hinc est, ut homo ab ipso, summam suam felicitatem expectet, & in conjunctione cum ipso unice quærat.*

## §. XVII.

*Deinde per religionem summi Numinis, natura humana summa perfectionis & felicitatis, quæ in eam cadit, fit particeps.* Intellectum hominis per veram rerum cognitionem perfici, nullum est dubium. Scilicet ea intellectus natura est, ut res, quæ sub cognitionem cadunt, idea de illis ex sensibus hausta, contemplari, earumque quamvis ab alia suis proprietatibus essentialibus distingvere, membra ac partes earum discernere, varias ideas, quarum definitiones & divisiones in promptu sunt, inter se pro diversa earum natura comparare, ex una veritate plures alias concatenato nexu deducere, effectum & causas, itemque effectus rerum sensus nostros ferientium occultos perferutari, & divinando quasi assequi, & divinationes verosimiles ab improbabilibus secernere, valeat. *Quo major igitur præstantia, pulchritudo, sublimitas in rebus, quas intellectus cognoscit, posita est, quoque, clarius & distinctius ea ab intellectu intelligantur: eo perfectiorem reddi intellectum, nemo, qui mediocrem ejus rei sensum, & experientiam habet, negare audebit.* Voluntatis porro ejus est indoles, ut circa id, quod ab intellectu fuit cognitum, libera optione & consentaneo motu sese determinare, & prout vel boni vel mali rationem quodvis habet, ita vel amare, vel averfari, vel eligere, vel repudiare possit. Imo bonum clara & distincte cognitum, & pro bono suo, pro bono suo necessario, pro bono suo præstantissimo, pro bono suo summo reputatum, quamdiu illa cognitio clara & indubitata, menti; præfens existit, volun-



209.

voluntas naturali quodam impetu appetit: contra malum eadem ratione cognitum & pro suo reputatum, non potest non fugere. Præterea voluntatem nostram ita dispositam esse cernimus, ut bonum, in quo plene acquiescere possit, cum maxima affectus intentione desideret, nec placido, tranquilla & imperturbata voluptate gaudens, statu manere possit, quamdiu vel molestus mali sensus eam deprimat, vel inquietum boni desiderium attollit. Quo ergo bonum, quod vel desiderat, vel in suavissima fruitione possidet, perfectius, quo durabilius, quo solidius, quo naturæ humanæ convenientius, quo suaviolem voluptatis sensum excitare aptius esse deprehenditur: eo magis absoluta, magisque consummata voluntatis per ejus amorem, & fruitionem existit perfectio. Jam quod DEUS sit ens perfectissimum, nobilissimum, præstantissimum, in cujus clarissima, qualem assequi licet, cognitione, summa intellectus perfectio consistat: quod DEUS sit omnium, quæ homo cupere aut capere unquam possit, bonorum excellentissimum, ad cujus possessionem homini etiam patet aditus; quod item per intimum summi Numinis amorem, per fiduciam & stabilem in eo acquiescentiam, per submissam ejus venerationem, per promptum ad ejus nutum compositum obsequium, voluntas miseria sua liberetur, & ad summam perfectionis metam perducatur, nullus eorum cum frigido tantum assensu affirmabit, qui genuinum perfectionum & amoris DEI in homines conceptum, & præterea claras operationum intellectus, & istorum voluntatis motuum, quos recensuimus, ideas habent. Quilibet item, qui res & bona hujus ævi paulo penitus inspexit, & gustavit, ipso sensu experietur, fieri non posse, ut homo veram essentialem & summam facultatum rationalium perfectionem, & hinc dependentem felicitatem assequatur, nisi per talem cum DEO conjunctionem, ut in cognitione rerum pariter & in actionibus suis DEI intellectum & voluntatem sequatur, omniaque ad DEUM, tanquam ad unicum cognitionis, actionum & felicitatis nostræ centrum referat. Sane intellectus cognitione DEI destitutus, quicquid rerum naturalium cognoscit, sine principio & causa omnium rerum prima cognoscit, nullibi quo cogitationes ejus subsistant, habent, variis dubitationibus & incertis assertionibus, tanquam fluctuum tumultuantium impetu, agitur. Quemadmodum autem res per causas suas cognoscere maxima perfectio: ita contra rerum, quas hoc universum complectitur, & variorum phaenomenorum naturæ indolem sine prima causa cognoscere, summa intellectus imperfectio, imo summa miseria est. Nec

D

enira





enim hoc rerum statu voluntas unquam boni alicujus perfecti possessione ex-  
fatiari, nec stabili sede quiescere potest, quum metus & cupiditates ejus variis  
modis, rerum in hoc ævo intellectui obversantium consideratione, provocari  
possint, unde voluntas sui veri boni expertis semper vehementissimis pertur-  
bationibus, anxiiis desideriis, variis terroribus percussa & circumacta, in aby-  
so quædam, cujus nullus reperitur fundus, hæret. Quum vero DEUS, quo-  
niam est Ens intelligens perfectissimum, naturas a se productas summæ, quæ  
illarum facultatibus convenit, perfectionis & hinc dependentis felicitatis  
participes fieri velit; ut supra § 6. diximus: quis jam de eo disputet, quod  
DEUS humanam naturam, per religiosum cultum, eo, quem paucis delinea-  
vimus, modo, ad perfectissimum & beatissimum statum proveli serio velit?  
Voluntas DEI est voluntas imperantis: siq; ex istis observationibus clare  
deductum fuit, DEUM velle sui cultum; manifestum est, vim jussum & legis  
habere illam voluntatem.

## § XVIII.

Pergimus ad officia erga alios, quam tamen meditationem paucis ab-  
solvere nobis hic liceat. Deus vult humanæ naturæ conservationem, &  
perfectionem ei convenientem & maxime essentialem. Vult quoq; Deus,  
ut hominum quisq; id agat, quod ad suæ naturæ conservationem, & felicitatem  
essentialem pertinet. Ergo DEVS vult, ut nullus homo alterum in  
conservationis & veræ perfectionis suæ studio impediatur, aut quicquam agat,  
quod alterius conservationi aut essentiali perfectioni repugnat. Hinc om-  
nia officia, quæ lesionem aliorum prohibent, nascuntur. Unde saltem pa-  
tet, dari quædam erga alios officia per modum legis præscripta. Imo quum  
conservatio & perfectio humanæ naturæ sit finis DEI: ad finem autem DEI  
pro viribus promovendum tanquã ad partem cultus divini quilibet teneatur;  
patet, hominem etiam obligari, ut, quantum potest, ad aliorum conservatio-  
nem, & perfectionem naturæ humanæ conferat. Porro Deus humanam naturam  
amoris rationalis mutui capacem fecit, dum non solum amoris semina ipsi na-  
tura in didit, quo alter affectu conjunctionis in alterum feratur, sed etiam fa-  
cultates varias amorem illum reipsa demonstrandi, ut sermonem, & reliquas  
inseviendi vires concessit. Ipse vero DEVS etiam humanam naturam  
amat. DEVS ut Ens perfectissimum vult, ut homines suas perfectiones, quas  
possunt, & in quantum possunt, imitentur, per §. 16. Ergo DEVS vult, ut  
homines se in vicem, ratione dirigente, ament, ac proinde omnia quæ ratio-  
nali



nali aliorum hominum amori repugnant, omittant, contra ea, quæ rationalis iste amor exigit, sedulo faciant. Ex his duobus officiis, quæ DEO & aliis ejusdem naturæ consortibus debentur, fluunt illa, quæ vulgo officia erga seipsum dicuntur, ab aliis a. indirecta vocantur, quoniam in ipso obligato terminantur. Talia sunt v.g. cultura intellectus, ut ille aptior reddatur tum ad veritates divinas eruendas tum ad aliis commode inserviendum: emendatio voluntatis, & affectuum moderamen, quo rursus opus est tum ad cultum divinum sine impedimento præstandum, tum ad amorem aliorum constantem & rationalem concipiendum: deniq; conservatio vitæ naturalis & cura legitima corporis, ut ne animus in suis operationibus retardetur, sed potius prompto corporis obsequio uti valeat. Quum itaq; hætenus probatum sit, ad cultum DEI, & officia aliis debita nos obligari: eo ipso simul confirmatum fuit, nos obligari ad hæc modo nominata officia, quum illis præstandis inserviant. Restare videtur novum officiorum genus, quod brutorum genuinum usum respicit. Sed quæ de eo dici poterant, fusiore meditationem requirunt: hinc alii loco & tempori reservanda.

§. XIX.

Operæ pretium est, nunc eorum rationes perulstrare, qui legem divinam proprie dictam dari negant, vel ex solo rationis lumine de ea judicium ferri non posse, statuunt. Neutiquam vero existimem, omnibus dissentientibus promiscue ob hanc solam sententiam Atheismi maculam esse inurendam: nobis tamen etiam ipsa libertatem hanc relinquent, ut propter adductas rationes ab ipsis discedamus, quum rationes in contrarium allatæ tantum ponderis non esse videantur, ut ullo modo fundamenta nostra labefactent. *Primum*, quod obijciunt, huc redit, ut dicant, *DEUM se magis ut patrem amantem, quam ut dominum & despotam imperantem nobis in natura sistere: amoris autem non esse leges, sed monita, consilia, exhortationes, dehortationes.* Sed male in hac objectione *amor DEI paternus imperio ejus opponitur.* Utrumq; enim potest consistere: *dominium per naturam suam non excludit amorem, nec amor dominium.* Unde falsa est propositio: *Quicumq; homines amat, ille hominibus nullam præscribere potest legem.* Dominium enim seu auctoritatis legislatoriæ exercitium, & amor subditorum, *non sunt idea totaliter diversa, sed subordinata, & alio respectu partialiter tantum diversa.* Nimirum amor vel cum imperio est conjunctus, vel minus. Et vicissim legislator vel amat potestati suæ obnoxios, vel non amat





amat eosdem. Imo inter ipsos homines legislator perfectissimus ille censetur, qui cum imperio & auctoritate leges faciendi *amorem* conjungit. Unde etiam maxima principis laus est, quando *Pater patriæ*, qui paterno amore cives suos complexus fuerit, vocari meretur. Quid quod parentes rationi maxime addictos, filiis suis, sub potestate sua adhuc constitutis, quos terrissimo amore amplectuntur, plurima præscribere, *quæ vim legis habent*, h. e. *quæ facere aut omittere non sit perinde*. Tantum igitur abest, ut amor divinus auctoritatem legislatoriam summi Numinis tollat, ut eam potius illustriorem reddat.

## §. XX.

*Sunt alii*, qui opponunt, *DEO ex observantia ejusmodi officiorum nullum emolumentum, ex eorum neglectu nullum damnum asserri*, quandoquidem ipse sit Ens perfectissimum, cujus perfectiones per cultum nihil augeantur, per actiones contrarias nihil imminuantur: legem autem proprie sic dictam ex parte imperantis involvere emolumentum. At verum quidem est, quod DEUS ex legibus observatis nullum emolumentum capiat, nec ex legibus neglectis damnum physicum patiat. Sed nulla ratiocinio inest consequentia: *Per actiones hominum perfectionibus divinis nihil accedit, nihil decedit. Ergo actiones humanæ legis sunt expertes. Lex enim non derivanda ex emolumento, quod in imperantem redundat: sed ex imperantis voluntate.* Sufficit igitur, DEUM velle. Legem semper debere involvere emolumentum imperantis, prorsus negatur, saltem non erit is conceptus legis essentialis, quippe qui non omni legi competit. Certe princeps juribus Majestatis secundum rationis, non affectuum, dictamen usus, quum leges præscribit, non privatam utilitatem, sed civium & totius societatis, cui præest, vera emolumenta scopi loco præfixa habet. Esset ista legis definitio arbitraria, male in hoc argumento ad ideas naturales applicata, ex qua proinde non conclusiones reales, sed tantum nominales & arbitrariæ fluunt. Eodem hæc definitio laborat vitio, quod in Cartesio notari meretur, quando *motum definit, quod sit translatio unius partis materiae, s. unius corporis, ex vicinia illorum corporum, quæ illud immediate attingunt, & tanquam quiescentia spectantur, in viciniam aliorum.* Hic enim motum considerat ut ideam arbitrariam ac proinde nominaliter definit, quum sit idea maxime naturalis. Ideo autem ita definit, ut hoc modo & tacite suam de motu terræ circa solem tueatur hypothesis, & simul Pontifici sententiam de motu terræ damnant-



damnanti theses suas non exofas reddat. Si legem arbitrarie definire liceret, eodem jure dicere possem, eam esse justum tyranni, vel invaloris.

## §. XXI.

Uterius opponunt: DEUM liberam hominibus voluntatem concessisse, ut possit se in utramq; partem flectere; DEUM igitur hoc ipso indicare voluisse, hominis arbitrio permissum esse, quicquid ipse agere velit: DEUM libere ab hominibus coli velle, velle eundem, ut homines libere veram suam felicitatem quærant, & miseriam fugiant. Respond. *Libertas est facultas mentis, quæ potest se motu proprio determinare ad aliquid agendum & non agendum.* Verum igitur est, DEUM hominibus voluntatem liberam concessisse, nec adeo eos secundum rerum determinata & Mechanica ratione agentium motum agere velle: sed inde minime sequitur, hominem nulla lege ad certas actiones obligari. Libertas enim voluntatis, & obligatio legis non sunt ideæ oppositæ, quæ se mutuo expellant. Lex nentiquam tollit libertatem humanam, quum non physice hominem cogat, libertatem ei adimendo, nec actionem involuntariam reddit. Præterea ubi nulla libertas voluntatis, ibi nulla lex: nulla lex potest sanciri circa actiones involuntarias & naturales, v. g. circa respirationem, sanguinis motum, formationem fetus &c. sed semper actiones a libera voluntate pendentes respicit: enti, quod nullam plane liberam voluntatem habet, lex præscripta esse dici non potest, nam agit secundum necessitatem naturæ, nisi legem in sensu physico magis, quam morali accipere velis. Nulla obedientia vera, nisi ubi adsit libertas, locum habet: agens enim debet posse agere & non agere, & sic libero motu sese determinare: neq; actio, deficiente libertate, imputari cuiquam potest. Deinde ex aptitudine & facultatibus hominis naturalibus non licet simpliciter concludere ad voluntatem DEI sine respectu ad reliquas circumstantias hic in censum venientes. Ex concessa libertate plura non possunt concludi, quam DEUM velle, ut homines liberam electionem actionum voluntati divinæ convenientium & eidem contrariarum instituant: utq; animo spontaneo, non coacti ad legem divinam observandam se determinent. Deniq; verum est, DEUM libere ab hominibus coli: namq; omnem cultum, qui ex animo invito procedit, repudiat: sed inde minime conficitur, DEUM non velle cultum sui per modum legis, ob rationes modo allegatas.

## §. XXII.

Alii ideo legem divinam in dubium vocant, quod non detur promulgatio



*aliqua solennis.* Sed promulgatio solennis, qua DEUS homini immediate  
 & manifestet, legemq; suam iis cum maximo Majestatis apparatu proponat,  
 non pertinet ad conceptum legis in genere essentialem, sed est accidens. Suf-  
 ficit, dari promulgationem internam per rationis, quæ naturæ insita est, dicta-  
 mina: Scilicet DEUS legem suam hominibus *modo naturæ ipsorum rationali*  
*conveniente* promulgavit. Neq; exceptio valet, hanc de qua dicimus, pro-  
 mulgationem, non habere requisita promulgationis necessaria, quæ duo sint,  
 nempe *apertus legis sensus, & omnibus, ad quos scire attinet, facta explica-*  
*rio:* scil. (a) Doctores ajunt tam varios esse in constituendo fundamento le-  
 gis, ut pene nulli liceat pedem figere, aliis ea, quæ alii magno apparatu ad-  
 struxerunt, eodem conatu destruentibus: (b) deinde non nisi eruditos pos-  
 se intelligere, quæ vere præcepta sint, & quomodo ab avertis præjudiciis diffe-  
 rant: ignaros autem agere quidem ad regulas rationis, sed neutiquam quod  
 ita sibi imperatum cognoscant, sed quod e suo commodo aliter agere non  
 possint: hanc autem obscuritatem cum bonitate sanctissimi legislatoris non  
 posse conciliari. Requisita allegata & nos admittimus, eaq; in legis divinæ  
 naturalis promulgatione adesse defendimus. Sane I. non sequitur: *Ubi*  
*datur dissensus eruditorum, ea res est obscura, & inextricabilibus difficulta-*  
*tibus involuta.* Quemadmodum *consensus eruditorum* non probat verita-  
 tem alicujus sententiæ: ita *dissensus eruditorum* nihil valet contra veritatem  
 & claritatem. Quis ferret argumentationem, si quis concluderet: Circa  
 doctrinam de bono eruditi inter se maxime dissentiunt. E. nullum datur  
 bonum, vel E. natura boni est obscura. II. *Eruditi* quidem eo quod ratio-  
 nem suam maxime excoluerint, *felicius & ulterius in cognitione legis & offi-*  
*cionum possunt progredi: reliquis tamen hominibus DEUS etiam rationem*  
*dedit, & principia ipsa in se sunt facilia, & inattenti facile se insinuant ani-*  
*mmum.* Satis principiorum habet homo literis haud deditus, si illud obser-  
 vet: *Quicquid tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quicquid cum amore ali-*  
*orum pugnat, illud omittendum, quicquid eidem convenit, faciendum.* Quan-  
 tum ad cultum DEI attinet, fatendum quidem, officia huc pertinentia clari-  
 us ex revelatione, quam ex ratione peti posse: interim sat multas conclusio-  
 nes suppeditabit hoc principium: *Quicquid venerationi atq; amoris summi*  
*Numinis repugnat, illud est omittendum, & quicquid ei convenire intelli-*  
*gitur, faciendum.* Quibus porro majorem DEUS cognoscendi facultatem con-  
 cessit, illi ad plura officia obligantur. Qui vero minori gaudent, aliorum, qui  
 plus valent cognitione, operum uti tenentur,  
 §. XXXIII.



S. XXIII.

Spicioſum eſt argumentum, quod quidam opponunt, dicentes, omnia officia, quæ lege dicuntur præcepta, ſpectare ad felicitatem hominis, poſſe autem quemlibet de jure ſuo ad propriam utilitatem ſpectante cedere. Sed nulla huic argumento in eſt conſequentia: *Hæc actio ſpectat ad felicitatem meam. Ergo ea mihi non eſt præcepta, ſed libertati meæ permiſſa.* Nam ſic plane nulla lex eſſet etiam in ſocietate, ſiquidem omnes actiones civibus ab imperante præceptæ etiam ad ipſorum ſalutem & felicitatem ſunt compoſitæ. Quo perfectior enim eſt legiſlator, eo magis leges ſuas attemperabit utilitati & emolumentis civium. Itaquæ non valet: *quicquid ad felicitatem propriam ſpectat, illud non poteſt eſſe præceptum.* In lege enim judicanda non reſpiciendû eſt ad utilitatem obligari, ſed ad voluntatem ſ. juſſum imperantis obligantem. Unde etiam, quando DEUS nos punit ob actiones felicitati noſtræ veræ adverſas, non punit, quod felicitatem noſtram neglexerimus, ſed ideo, quod negligendo noſtram felicitatem voluntati & fini DEI adverſati fuerimus: nam uno eodemquæ actu, quo homo felicitatem ſuam veram negligit, voluntati divinæ adverſatur. Deinde ut rem clarius deducamus, felicitas hominis duplex eſt, alteram eſſentialem, alteram accidentalem dicere poteris. Felicitatem eſſentialem illam voco, quæ cum naturæ humanæ conſervatione & facultatum ejus rationalium maxima perfectione neceſſarium habet nexum: Accidentalem eam appello, quæ cum naturæ humanæ conſervatione & perfectione neceſſarium nexum non habet. Sic v. g. ad eſſentialem hominis felicitatem pertinet cognitio veritatis, cognitio veri ac ſummi boni hominis, emendatio voluntatis, & directio omnium actionum ad rationis dictamen, affectuum moderatio, cura ſanitatis, & conſervatio virium naturalium &c. Contra cultura corporis ratione decori, divitiæ, honores, & commoditates variæ pertinent ad felicitatem humanæ naturæ accidentalem. Ad eſſentialem felicitatem dicimus hominem obligari per modum legis, quia iſta immediate cum fine creatoris, qui finis non poteſt non eſſe facultatum humanarum conſervatio & per bona ipſis maxime convenientia perfectio, cohæret. Accidentalem dicere poſſumus liberæ hominis voluntati permiſſam, & per modum conſilii, ſi ita loqui ames, hominibus a DEO proponi. De hac felicitate accidentali valet: *Quod homo rationis uſu multa ad ſui commodum comminifci queat, luculentiffimum bonitatis divinæ teſtimonium eſt, quæ frui felicitas: non uti, ſultum.* Nequæ enim jubet DEUS



DEUS homines lectis mollibus uti, aut eqvo vehi, si stramen corpori subster-  
nere, aut pedibus incedere nimis molestum sit.

## §. XXIV.

Egimus de lege divina naturali: nec quisquam æqvus rerum æstimator  
nobis vitio vertet, quod huic materiæ paulo diutius immeritati sumus. Video  
enim, in hoc totius rei cardinem versari, quum ea, quæ hæcenus deduximus,  
principia sint meditationis nostræ de pœna, quæ non præsupponere, vel leviter  
tantum attingere, sed solide confirmare oportuit, nisi lectorum animos in  
principiis dubios relinquere voluerimus. De fundamentis enim ubi animus  
nondum convictus est, in conclusionibus deducendis omnis labor erit inanis.  
*Quum igitur per hæcenus demonstrata detur lex divina: certum est, dari pœ-  
nam divinam. Omnis enim lex sine sanctione pœnali est irrita.* Frustranea  
est lex, si eam impune violare licet. Nisi enim malum, quod maxime opere  
timeat & aversetur homo, ob violationem legis ei imminet: nihil erit, quod  
homines affectibus suis ad pravæ actiones sollicitates coercere. DEUS au-  
tem utiq; serio vult, ut dictamina legis suæ sedulo observentur, quum ens  
perfectissimum voluntatem suam non possit non probare. Unde legem su-  
am tuetur, nec eam irritam esse patitur. Solent quidem contra pœnæ divi-  
næ veritatem objicere, eam esse incertam ac lubricam, ut adeo finis pœnæ ma-  
nifeste cesset, quum tamen æqui legumlatoris attributum sit clare pœnas ex-  
ponere, quo terreatur protervi, ut a malo se contineant, & a periculo cave-  
ant: iniqui imperantis esse, obscure loqui, quo magis ad peccandum viam  
pandat, atq; sic ex insidiis quasi suis exitium inferat, quod in DEUM justissi-  
mum & optimum cadere nequit. At vero lubricam & incertam pœnam divi-  
nam dicere non possumus ideo, quod eam non omni ex parte sensu imme-  
diate percipiamus. Sufficit, nos ex natura legis cognoscere, *DEUM velle  
punire*, eundem quoq; *velle gravissime punire*: licet illud clare haud percipi-  
amus, *in quoniam pœna divina in omni sua amplitudine considerata, sit con-  
stitutæ.* Neq; enim semper necessarium est, ut pœnæ *indoles* distincte ex-  
primatur, finisq; pœnæ potest obtineri, modo constet, legislatorem velle  
gravissime punire: unde etiam principes, quando legem promulgant, non  
semper pœnam speciatim determinant, nec tamen ideo cives de legislatoris  
æquitate jure conqueri possunt. Eodem modo finis pœnæ divinæ proposi-  
tus potest obtineri, si modo constet, DEUM gravissimas pœnas legum sua-  
rum violatoribus velle infligere. Ut paucis rem expediamus: *Clara est pœ-*  
ne



na divina idea ratione existentia, tametsi eam ratione essentia specialis paulo obscuriorem esse non diffiteamur. Quod ergo dicitur, æqui legislatoris attributum esse, clare poenas exponere: concedimus, poenarum existentiam debere esse claram, sed non necesse est, ut essentia poenarum omni ex parte clare sit exposita. Sed nec illud sententiam nostram evertit, quod dicunt, pessimos mortalium, & legum naturalium transgressores perpetuos, modo sua commoda fraude metiantur & solertes sue utilitatis & prosperitatis sint custodes, omnium bonorum genere affluere. Hoc enim non demonstrat, nullam esse poenam divinam: sed quum existentia poenarum claris principis, quæ indicavimus, nitatur, superest ut illas poenas omnes non hujus vitæ spatio comprehendendi, concludamus. Nec enim probat, qui tantum dicit, illam de futuræ vitæ poenis conjectationem ex naturæ luminæ nebulis maximis esse obductam & incertam. Deniq; in contrarium quidam hoc afferunt, quod homo peccando nullum DEO damnum, nullam injuriam inferat. Sed negatur, poenam omnem necessario infligi ob damnum legislatori illatum, ut in ipsis poenis humanis videre est. DEUS igitur non punit, quasi beatissimam & perfectissimam ejus naturam homines damno physico affecerint, sed ideo punit, quia homines imperium & auctoritatem ejus legislatariam temerario & impio conatu violant.

CAPVT II.

DE

Ipsa poenæ divinæ natura & indole, quatenus ea cognosci potest.

§. I.

**I**N superiori Capite evictum fuit, dari legem divinam, quumq; DEUS legem suam amet, ejusq; observationem exigat, patet, eum velle auctoritatem suam legislatariam tueri. Ad hanc tuendam autem necessario pertinet poena. Ea igitur definiri potest, quod sit malum, quod homini ob legem divinam sacrosanctam violatam a DEO infligitur, ad divinam Majestatem & auctoritatem legislatariam inter naturas rationales afferendam. In primis in hac definitione finis poenæ divinæ notari & explicari meretur. Is vero consistit in eo, ut DEUS inviolabile jus & independentem potentiam,

E

ncc





nec non seriam suam voluntatem homines obligandi & odium suum in peccata iustissimum sanctissimumq; demonstrat, ut hac ratione homines protervi sentiant, se non impune voluntatem creatoris & domini sui neglexisse, totaq; natura rationalis summam DEI Majestatem, & ejusq; imperium sanctissimum ac potentissimum cognoscat atq; veneretur: verbo: ut DEUS imperium, Majestatem, & auctoritatem suam legislatariam in natura rationali tueatur. Nimirum voluntas DEI summi imperantis est nostra lex, quia Deus est supremus Dominus. Nos obligamur ad voluntatem ejus præceptivam observandam: ipse etiam DEUS hoc vult, ut eam sedulo observemus. Si voluntati ipsius repugnamus, est hæc ipsa rebellio, & contemptus Majestatis atq; auctoritatis DEI legislatariae. Quando ergo DEUS punit, finis ejus primarius alius esse non potest, quam ostendere, se esse summum imperantem, cujus voluntati nemini impune liceat resistere, se habere potentiam obligandi, se quoq; serio voluisse obligare hominem, nec adeo legem suam a quopiam sine maximo damno villendi. Atq; hæc est proprie *illa satisfactio*, quæ legislatori summo deberi vulgo dicitur, aut a paucissimis recte intelligitur. Nimirum si sanum ea de re conceptum, quo summam DEI perfectiones haud offendamus, formare cupiamus, *satisfactio justitiæ divine* in hoc ipso consistit, ut *DEUS odium suum adversus legum suarum violationem* (quod tamen sine humanis imperfectionibus concipiendum) *seriamq; suam voluntatem & potentiam obligandi manifestet, atq; sic Majestatem & auctoritatem suam legislatariam in familia sua tueatur.* Unde male satisfactio ista DEO debita concipitur per affectum humanum, iræ deditum aut vindictæ cupidum, quasi DEUS per pœnæ perpersionem aliquid accipiat, quo affectus ejusmodi turbulentus in ipso pacari possit, & quasi in DEO aliquod gaudium, acquiescentia, & tranquillitas affectuum ex pœna a peccante tolerata enascatur. Sanus itidem ex istis conceptus *de justitiâ DEI*, quam vocem plurimi in ore habent, & in quæstionibus maximi momenti ad eam provocant, idea ejus clara & distincta prorsus destituti, deduci facili negotio potest.

## §. II.

Reliqui *finis*, qui commemorari possint, ex hoc fluunt, atq; facile intelliguntur. Nempe *respectu ipsius peccatoris finis pœnæ divine inflictæ* est, ut *iple vel emendetur*, si emendationi adhuc locus sit, & abstinere in posterum ab his & similibus peccatis discat, *vel sentiat*, se non impune Majestatem divinam peccando neglexisse, ut sentiat, DEUM se voluisse serio obligatum, Sive enim



enim homo emendetur, sive sentiat, se non impune violasse legem DEI supremi sui domini: hoc ipso DEUS auctoritatem suam legislatariam tuetur eiq; manifestat. *Respectu aliorum finis esse potest, vel ut ipsi deterreantur ab iisdem aut similibus peccatis, vel ut & ipsi ex hoc effectu seriam DEI voluntatem obligantem cognoscant, & ad venerationem summi numinis, ejusq; perfectissimæ sanctitatis, justitiæ & Majestatis excitentur.* Hic observandum, non semper Poenæ divinæ esse finem, *ut ne peccetur amplius.* Plato quidem dixisse fertur: *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur.* Rationem addit Seneca l. l. de Ira c. 16. p. m. 24. *Revocari* cuium præterita non possunt, futura prohibentur, & quos volet nequitia male cedentis exemplari, palam occidet, non tantum ut pereant ipsi, sed ut alios pereundo deterreant. Et l. II. de Ira c. 31. p. 53. Ergo ne homini quidem nocebimus, quia peccavit, sed ne peccet: nec unquam ad præteritum, sed ad futurum poena referetur. Non enim irascitur, sed cavet. Nam si puniendus est, poena cuiusq; pravum maleficumq; ingenium est, poena neminem excipiet. Verum est hoc assertum, *quod prudens non punit, quia peccatum sit, sed ne peccetur, si accipiat de vitioso in legislatore puniente affectu & sola nocendi libidine:* verum quoq; est, si de *pœna humana sermo sit.* Homo enim non habet summum & independens imperium, sed potestatem maxime limitatâ, quippe quæ se non ulterius, quam ad externam societatis tranquillitatem conservandam extendit. In reliquis nullam potestatem jubendi aut puniendi habet, nisi in quantum illi fini rite subordinantur. Quoniam ergo non absolutam habet potestatem in alios homines: hinc nihil mirum est, si potestas ejus puniendi etiam valde sit limitata: quumq; ipse legislator hominem se esse meminisse debeat, humanæ quoq; conditionis in poenis infligendis memor esse debet. Et huc omnes rationes a Seneca allegatæ collineant. Quod si vero hoc pronunciatum eousq; extendatur, ut *omnis pœna in genere hunc finem habere statuatur, ne in posterum vel ab ipso delinquente, vel ab aliis peccetur:* tum sane admittendum haud esse videtur. *Finis enim poenarum in genere est Majestatis & auctoritatis legislative assertio, itemq; serie voluntatis obligandi demonstratio.* Hinc poena a summo Numine independens imperium tenente, peccanti infligi potest, ad Majestatem & auctoritatem suam legislatariam demonstrandam, ut *tum ipsi peccanti, tum reliquis entibus rationalibus innotescat, DEO non perinde fuisse, sive quis legem ipsius observaverit, sive eam violaverit, sed potius DEUM suam legem perfecte ama-*





re, eamq; serio observatam voluisse, (maxime ubi peccanti ad gratiam recuperandam aditus diu patuit,) utq; sic reliquæ naturæ rationales ad summæ Numinis tanquam Entis perfectissimam suam legem probantis & asserentis venerationem, ad celebrationem potentia, sanctissimiq; adversus peccata odii excitentur.

## §. III.

Pœna divina vel naturalis est, vel naturali superaddita, quam si arbitrariam dicere velis, non repugnabo. Pœna naturalis est malum cum ipso peccato naturali nexu conjunctum; & ab homine ipso per actum vitiosum contractum. Arbitraria autem est malum, quod præter naturalem pœnam DEUS pro arbitrio suo infligere existimandus est. De utroq; genere paulo distinctius disseremus. Ipse sensus docet, omnia fere peccata suam naturali nexu trahere pœnam, ut propterea commode dici possit, peccatum ipsum peccatori esse pœnam. Sic quod ad religionem & operationes ei oppositas attinet, Atheus theoreticus privat se felicitate summa, & tranquillitate illa inexplicabili, quæ ex amore & fiducia in DEUM oritur: nihil habet, quo se ingruentibus variis calamitatibus, consoletur, nihil quo veluti basi quadam animi suum sustineat, nihil, in quo solide, & nunquam interrupta voluptate acquiescat. Ubi intellectus ipsius, auxilium & potentia humana deficit, ibi omnis simul tranquillitas, fundamento omni subruo, cum destituit, necesse est. Taceo incertam solitudinem, qua semper vereri debet, ne existat summum aliquod numen impietatis vindex justissimus futurum, & hinc natos certo tempore inevitabiles stimulos & angores conscientia. Atheus practicus cupiditates suas cæco impetu sequitur, atq; eam ob causam affectuum turbis non potest non miserrime excruciarî. Qui amorem summi Numinis negligit, extra conjunctionem cum DEO vivit, atq; hinc etiam influxu gratia divina se ipsum spoliât. Superstitiosus sibi ipse varia idola effingit, quo ipso libertatem suam agendi circumscribit, ut non possit propter varia præjudicia vanam religionem præscribentia, ita libere res suas agere. Cujus animus non in amore DEI omnem acquiescentiam quærit, & contra rebus caducis hujus ævi fiducia sua adhæret, is nunquam in bonis, quæ cum neglectu DEI appetit, constans gaudium & tranquillitatem inveniet. Simili ratione ut ad peccata officii erga alios contraria deveniamus odium aliorum rursus parit odium nostri. Aliis qui debita officia negat, aliorum animos a se alienos reddit, cum aliis qui subdole agit, ab iis odio habetur, ejusq; commercium

vita-



vitatur. Invidus sibi nocet, non aliis. Qui aliis injusto modo se præferre conatur, internecina aliorum odia in se concitat. Sic *immodicus cibi & potus usus brevem quidem delectationem creat, sed maximas posthac parit molestias*, corporis vires enervat, animum turbat, intellectum debilitat, & hominem ad ordinaria muneris sui negotia cum alacritate expedienda ineptum reddit. *Prodiga bonorum fortuna profuso paupertatem, infamiam, & alias molestias cum paupertate conjunctas: Veneris usus illegitimus maxima mala & morbos sæpius immedicabiles: affectuum intemperantia* maximos cruciatus naturali nexu trahit. *Animus stultus, præjudicii & erroribus imbutus* suæ stultitiæ & errorum gravissimas sibi ipsi contrahit inflig tq; penas. Omnia sigillatim recensere prælixum foret. Generalia nonnulla tantum observare juvabit. Omnes actiones legi divinæ adversæ *beatissimam cum DEO conjunctionem* impediunt, eo quod mens vitiiis dedita ad sincerum DEI amorem, utpote qui necessario ad conjunctionem cum DEO requiritur, plane est indisposita: unde fit, ut DEUS benevola sua operatione in animum influere nequeat, siquidem hic gratiosus influxus per ipsam naturalem rerum conditionem amorem hominis erga DEUM, ex amore divino in homines procedentem, præsupponit. Porro omnis homo cupiditatibus suis deditus *bellum affectuum se invicem oppugnantium, animumq; misere exoraciantium* in se perentiscit. Quantum hoc sit malum, expertus optime intelligit. Neq; aliter potest fieri, quam ut homo semper sit inquietus, quando sentit (a) *pugnam rationis & affectuum*. (b) *pugnam ipsorum affectuum* inter se, (c) *spei & desideriorum suorum frustrationem*, (d) *insatiabilem plura habendi cupiditatem*, (e) *tormenta vel ex ipsa bonorum hujus ævi jactura, vel ex eorum jacturæ metu existentia*, quandoquidem, quo majora, & quo magis illimitata sunt alicujus rei desideria, eo major solet esse ægritudo, quæ ex jactura ejus sive jam præsentis, sive imminenti & in posterum timenda oritur. (f) *merum malorum positivorum*, quæ futuris temporibus in hac vita præsentem contingere. (g) *continuum metum manifestationis suorum scelerum*, itemque poenarum s. ab homine, s. a DEO infligendarum. (h) *aversationem mortis* necessitate naturæ incumbentis, & terrores ex eorum, quæ meritem consequuntur vel saltem consequi possunt, consideratione prognatos. Hujus generis autem mala poenas divinas esse, inde colligitur, quia illa ipsa naturæ humanæ & relationum constitutio, ex qua fit, ut homines, nisi legem divinam tanquam Helicen sequantur, felices esse non possint, & ubi legibus adversantur,



fantur, miseriam jumento suo sibi attrahant, a DEO, omnium rerum causa, pendet. Hæc ipsa poena naturalis pro fine maxime habet demonstrationem voluntatis DEI obligatoria; ut scilicet, homines DEUM velle homines obligare, cognoscant.

## §. IV.

De poena *arbitraria* queritur, an ex rationis lumine cognosci queat? Constat, de eo nonnullos eruditos viros dubitare. Quamquam vero eorum sententiam in veritates divinas revelatas injuriam esse, neutiquam affirmare velim, quum saltem dicant, *rationem* de ea nihil, quod clarum sit, cognoscere, quemadmodum eadem de arbitrariis præmiis nihil cognoscat: *rationis* tamen ductum sequentem principia quædam eam poenam inveniunt invenire posse, per suum habemus. Dicunt contrariæ sententiæ patroni, licet DEUS semper sit superior, eum tamen nunquam utilitatem propriam intendere, & sic ex post facto magis naturalem, quam arbitrariam poenam minari. Sed ad hoc, quod DEUS nunquam utilitatem propriam intendat, jam supra Cap. I. §. XX. responsum, & ostensum fuit, quod inde nihil subsidii ad negandam legem divinam proprie sic dictam (quæ sententiâ hæc de negandis poenis arbitrariis nititur) posse peti. Nec ad negandas poenas arbitrarias fundamentum sufficiens suppeditat defectus experientie. Sane non sequitur: DEUM ex post facto naturales magis, quam arbitrarias poenas in hac vita infligere videmus. Ergo plane nullæ dantur poenæ divinæ arbitrariæ. Quantum vero ad ipsam experientiam attinet, ita statuo, ex variis & insolitis malis, in quæ homines malitiosos incidere videmus, non posse poenam semper arbitrariam concludi: interim quemadmodum per regulas probabilis in specialibus quibusdam casibus ad specialem providentiam DEI deducimur, quæ causas secundas aut immediate, aut mediate per spiritus dirigat, ita quoque in ejusmodi insolitis casibus sæpe aliquam poenam arbitrariam latere, probabiliter colligimus. Unde de peste, de bello, de caritate annonæ & fame publica, non potest cum certitudine dici, in his malis infligendis nunquam providentiam DEI specialem esse occupatam. Præterea quemadmodum DEUS eam viam cognitionis in natura aperuit, ut a natura sensibili adscendamus ad naturam insensibilem: ita quoque non improbandum foret judicium, si quis asseret, DEUM poena naturali, quæ est sensibilis, peccatores monere voluisse de poena arbitraria, quæ non immediate jam in sensu incurrit. Ut vero hæc res magis pateat, notetur sequens ratiocinationis nexus: Omnis lex sancitur poenis. E, lex divina ipsæ sancitur. Poenarum finis est, ut legislator auctoritatem suam legis-

lato-



latoriam tueatur, adeoq; homines per sensum pœnarum, vel earum timore a violanda lege absterreantur, & potestatem legislatoris actu experiantur, quam antea fuisq; deq; habuerunt. E. pœnæ, quibus sancitur lex divina, ita debent esse comparatæ, ut ad hunc finem obtinendum sufficiant. Unde pœnæ divinæ tales sint oportet, ut eas homines libidine sua peccandi haud minores esse existiment, sed ut stultitiam suam, quam legem Entis infinitis perfectionibus præditi violando commiserunt, agnoscant, & si via pateat, mentem suam mutare incipiant. Sed jam videmus, per pœnas naturales finem pœnarum non semper obtineri, videmus, quem plurimos homines, nulla earum, habita ratione, ex violata lege adhuc voluptatem quaerere. Qvare præter naturalem pœnam alia adhuc sit oportet, qvæ hominum pravas cupiditates superet.

§ V.

Hæc pœna arbitraria dividi potest in *immediatam* & *mediatam*. *Immediatam* voco, qvæ DEUS sine opera humana peccantes punit. *Qvem* admodum vero nullus sapiens temere negaverit, DEUM quoq; *in hac vita* interdum pœnas immediate inflixisse, aut adhuc infligere, qvanqvam nos de malis, qvæ immediate a DEO infliguntur, judicare raro possimus: ita non adeo obscure videtur ex ratione præbari posse, eas pœnas arbitrarias *immediatas maxime post hanc vitam* saltem impiorum animabus inflictum iri. Nimirum vidimus, DEUM velle punire, & qvidem ita, ut auctoritatem suam legislatoriam, potentia & voluntate sua obligandi demonstrata, tueatur; unde illatio facta est, pœnas divinas tales esse, qvales ut sint, requirat Majestatis, auctoritatis, & imperii sui supremi atq; independentis in homines assertio, atq; odii sui in peccata manifestatio: adeoq; pœnas divinas graviores esse libidine peccandi hominum. Jam ulterius colligo: aut ergo DEUS pœnas istas libidinem peccandi excedentes & odium ipsius legislatorum manifestantes, infligit *in hoc aut in futuro ævo*. At *non infligere* DEUM istas pœnas experimur *in hoc ævo*, qvum videamus, pessimos mortalium, & legum naturalium violatores perpetuos omni bonorum genere affluere: mala autem, qvæ nonnulli eorum sentiunt, vilipendi, atq; voluptate in peccatis ab hominibus ejusmodi sceleratis posita, inferiora existimari. Eousq; sæpe protervia hominum progressa est, ut maxima mala se perpetruros libenter esse professi fuerint, modo facinoris propositi perpetrandi, concederetur copia. Ergo ratio concludit, DEUM *velle punire peccatores in futuro ævo*, usq; pœnam irrogare fini principali pœnarum attemperatam. In o auctoritas DEU





DEI legislatoria hoc quoque; exigit, ut *ipse contemptus poenarum divinarum hujus avi vindicetur & gravioribus poenis coercatur*. Obijcere confueverunt contra poenam in futuro aëvo infligendam: ejus nullum ex rationis lumine perspici posse finem: nullam enim tum superesse emendationem puniti, nec ullum commodum in alios redundare: præter finem autem rationi in hac materia nullum aliud principium relinqui, ex quo poenarum divinarum existentiam concludere queat. At veroutique; datur finis poenæ divinæ in futuro aëvo irrogandæ, licet ille non omni ex parte cum fine poenarum hujus vitæ idem sit. Sed negata specie, non statim licet negare genus. Finis poenarum in genere est assertio atque; manifestatio Majestatis, auctoritatis, & voluntatis divinæ legislatoriæ. Hæc Majestas, auctoritas, & voluntas legislatoria non solum asseritur, quando poenarum sensu peccator eo perducitur, ut divinam potentiam & voluntatem obligandi agnoscens, in posterum peccare desinat, item si aliis securitas præstetur, & alii a similibus peccatis deterreantur: sed & ad illum finem pertinet, si tum ipse peccator jam experietur, Majestatem legislatoris, cujus lex violata est, esse summam & inviolabilem, & potestatem ejus voluntate peccandi infinitis modis esse majorem; tum si aliæ etiam naturæ rationales cognoscant summam DEI Majestatem, voluntatem ejus seriam obligandi, amorem legis suæ immutabilem, atque; ad legislatoris venerationem excitentur. Sufficit, si DEUS manifestet suum imperium summum, justissimum, & potentissimum. Sufficit, si demonstrat immutabilem decretorum suorum fidem ac veracitatem, qua impleat id, quod facturum se esse indicavit. Scilicet, eo ipso, quod ratio cognoscit legem, qua DEUS hominibus certas actiones præcipiat, alias interdicit, eo ipso, inquam, simul cognoscit, DEUM velle sibi adversantes gravissime punire: adeoque; DEUS per rationem testatus fuit, se velle punire, & legis veluti summa hæc est: Hoc age, istud omitte: si secus feceris, poenæ eris obnoxius. Si igitur DEUS actus punit, hoc ipso id, quod facturum se esse olim testatus est, actu implet. Atque; hac ratione poenarum illarum finis subordinatus est veracitatis divinæ, quæ etiam auctoritatem legislatoriam ingreditur, manifestatio. Huc autem potentissimum redit finis poenæ, quam DEUM in futuro aëvo peccatoribus pertinacibus inflicturum esse, supra probavimus: quamobrem ea ob defectum finis negari non potest.

§. VI. Poena divina *med.ata est*, quæ, DEO jubente, a Magistratu hominibus infligitur. Hanc ipsam Magistratus poenam dico divinam, quia non aucto-



auctoritate propria & independente, sed auctoritate & iussu summi Numinis eam delinquentibus Magistratus irrogat. Hoc autem ita probō: DEUS vult, ut homines tranquilli vivant in societate, nec alter alterius jura lædat. Tranquillitas illa non potest obtineri nec conservari sine pœnis. E. DEUS vult conservare illam tranquillitatem, inflictis pœnis. Aut igitur eam vult conservare per pœnas *immediatas*, aut *mediatas*: Sed non vult *immediate infligere pœnas* ad conservationem hominum tranquillam in societate necessario pertinentes: id quod ex ipso sensu & experientia constat. Præterea DEUS semper agit modo naturæ hominum conveniente. Dedit autem hominibus vires & facultatem, ut ipsimet possint malis inflictis, eos, qui societatem turbant, & alios homines lædunt, compescere. Ubi DEUS ipsis hominibus vires dedit ad effectum aliquem producendum, ibi ipse *immediate agere* non vult. Ergo DEUS vult pœnas ad conservationem societatis infligere *mediate* per ipsos homines. Si vult DEUS *mediate* punire per homines, *aut vult punire per quovis homines* in societate viventes *promiscue*, aut *per eos, quibus summa in societate potestas competit*, & quibus cura salutis publicæ demandata est. Prius DEUM velle rationi non est congruum, quia, per privatos quæ infliguntur pœnæ, variis incommodis sunt obnoxia, quando quidem hac ratione societas magis turbaretur, quum sic quivis potestatem illam sibi esset arrogaturus. Ergo *posterius* asserendum, quod DEUS velit per Magistratum. De hac pœna notandum, quod *non alio respectu, divina* dici possit, quam *quousq;* voluntate & iussu summi Numinis nititur, & quatenus ex auctoritate a DEO concessa fluit. *Voluntas autem DEI* judicanda est *ex sine, qui Magistratus est propositus*. Hic vero est, ut salutis publicæ curam gerat totamq; republ. ita dirigat, ut felicitas ejus, quæ per vires & consilia humana obtineri potest conservetur, & salvis cæteris finibus DEI, quorum subordinatio semper est respicienda, magis provehatur. Pœna igitur illa justa erit & legitima, h. e. *vere divina*, quæ cum illo *sine DEI intento exacte congruit, & eousq;* erit *divina, quousq;* congruit. Ueberior autem hujus rei deductio ad Jus naturæ pertinet.

§. VII. Principiis adstructis, *conclusiones* sponte sua fluunt. Diximus supra §. I. pœnam divinam esse malum, quod homini ob violatam sacrosanctam legem divinam a DEO infligitur ad divinam Majestatem & auctoritatem legislatoriam inter naturas rationales asserendam. Quodcumq; ergo malum a DEO non infligitur ob violatam ab ipso homine legem divinam, pœna divina dici non potest. Unde mala, quibus interdum sapientes & justi ho-

F

mines,



mines, citra suam culpam afficiuntur, non sunt poenæ. v. g. si quis fulmine feriatur, si cui peste moriendum sit, si quis incendio vel alio infortunato casu perdat opes suas &c. Simili ratione morbi vitio & peccatis parentum contracti, & in filios per generationem transfusi, licet mala maxime molesta sint, poenæ tamen dici nequeunt. Nimirum, ut omnis scrupulus hic plene eximatur, distingvenda sunt probe malorum genera. Sunt nimirum *qvædam mala*, quæ non nisi ob delictum possunt infligi: sunt vero etiam *mala*, quibus etiam illi, qui nihil deliquerunt, vel casu fortuito, vel occasione delicti alterius & ob communionem arctiorem cum delinquente, obnoxii fieri possunt: unde duplicem respectum habere possunt, alium poenalem, quando scilicet ob violatam legem homines illis addicuntur, alium infortunii & calamitatis in genere, quando scilicet non præcessit legis violatio. Atque ad hanc malorum classem etiam pertinent hujusmodi morbi, a parentibus vitiosis in liberos propagati, itemque alia mala externa, ut paupertas, contemptus & odium aliorum hominum &c. Id quidem non diffiteor, ipsos parentes hoc ipso spectaculo gravius puniri, nullum enim durius est supplicium, quam eos, qui ex se sunt, ob se miseros spectare, vel saltem cum eo metu occidere: attamen respectus *pœnalis respectu ipsorum liberorum* in delicti societatem haud venientium plane cessat.

§. VIII. Omnis poena divina *insignitur ob violatam legem*, uti ex definitione ipsa constat. Est enim hoc omni poenæ *essentiale*, ut *artissime cum lege cohereat*: sicque etiam *poena divina* cum *lege*, quæ violatur, *nexum & relationem accuratissimam* habet, eamque semper tuetur. Quamobrem poenæ divinæ necessario respiciunt *actus legi divinæ contrarios*, ita quidem ut quicquid legi divinæ vere est contrarium, poenam quoque divinam *mereatur*. Hinc etiam actus vitiosi *interni*, actus mentis perverfi omnem humanam *scientiam & potentiam* transcendentes, ut *affectus pravi*, *eamei in actum externum non eruperint* a DEO puniuntur: eoque respectu poenæ divinæ multum differunt a poenis humanis. Contra quicumque actus nulli legi sunt subiecti, ut actus, qui in homine non procedunt a facultatibus rationalibus, itemque actiones brutorum, in illos non cadit poena divina. Ob eundem nempe poenæ cum lege, manifestum est, propter aliena peccata, in quorum societatem quis non venit, neminem proprie puniri: ut adeo cives ob regis delicta, quorum illi non sunt participes, nequam puniri recte dicantur. Porro ex eodem fundamento colligimus, *pœnas divinas non fore æquales*, quoniam poenæ naturalem ad legem ejusque violationem, relationem habent. Quo magis igitur



tur actio legi est contraria, tanto gravior quoq; pœna divina fore recte cense-  
tur. Idcirco non repugnat, dari *pœnarum in futuro ævo gradus*, imo ita sta-  
tuere rationi maxime est consentaneum. Neq; obstat, quod excipiunt non-  
nulli philosophi, *omnia peccata esse æqualia*, quia nimirum omnia ex *neglectu*  
*summi* Numinis, s. ex detrectata summo legislatori, DEO, obedientia proce-  
dunt. Nam hoc non obstante, peccata possunt esse inæqualia, quum ille ne-  
glectus summi Numinis & obsequii denegatio pro diversa cognitionis, liber-  
tatis, propositi & malitiæ voluntatis, nec non reliquarum circumstantiarum  
ratione, modo graviorem, modo minorem reatum possit involvere.

§. IX. Pertinent pœnæ divinæ ad Majestatem & auctoritatem legislatori-  
am inter naturas rationales tuendam, h. e. ad demonstrandum tum summum  
DEI imperium & potentiam, tum etiam seriam voluntatem obligandi. Quum  
igitur potentia DEI nullos limites ab alio positos habeat, & vero pœnæ divi-  
næ potentiam DEI summam monstrare debeant: *possunt omnino ille pœnæ*  
*infinitos & æternos cruciatus involvere*. Simul vero etiam illud hinc cla-  
rum est, DEUM saltem *gravissime* legum suarum contemtores protervos es-  
se puniturum, quoniam nempe *pœnarum divinarum finis est Majestatis divi-  
næ & auctoritatis legislatoricæ assertio, atq; sanctissimi odii divini in legum*  
*transgressores manifestatio*. Unde *pœnæ divinæ* longe aliam rationem in  
hoc capite habent, quam *pœnæ humane*. In his enim maximum malum est  
vitæ naturalis privatio: & cruciatuum acutissimorum, quos tyranni decer-  
nere possunt, suus finis est. Sed pœnas divinas & *gravissimas esse, & æter-  
nas esse posse*, intelligit ratio; hinc etiam vetat, pœnas divinas vilipendere,  
aut voluptate peccantium minores æstimare. Contra præcipit, ut DEUM  
*super omnia timeamus, licet etiam non constet, eum velle infinities punire*:  
Prudentiæ enim est, cum timere omni modo, qui infinitis pœnis nos potest  
subjicere, *quum id, quod tutius est in rebus magni momenti, eligere semper*  
*preestet*.

§. X. Jam de quæstione judicari potest: *An pœna divina admittat di-  
spensationem, & an DEUS quibusdam saltem hominibus malefacta sua serio*  
*detestantibus, atq; de iis intime dolentibus, pœnam ex legis dictamine debi-  
tam velit remittere?* Quum enim omnis pœna divina ad auctoritatem legis-  
latoriam & Majestatem DEI necessario referatur: illud profecto extra omnẽ  
dubitationem est positum, quod hic nihil possit, nec debeat admitti, nisi quod  
*salvis auctoritatis legislatoricæ & Majestatis divinæ in toto natura rationa-  
lis genere tuendæ juribus, fieri posse ostendi potest, An vero DEUS salva*



*hac Majestate & auctoritate sua* in gratiam hominis de admissio læsæ divinæ Majestatis crimine serio dolentis, & malefacta sua improbantis, sine intercedente restitutione & compensatione legi præstita, poenam relaxare, aut proterius remittere possit? de eo ex solo rationis lumine nihil decidi potest. Vanæ igitur sunt omnes illæ disputationes, quas in Theologia Scholastica de hac materia institui, & cum magna animi contentione disceptari videas. Tutius, & rationi maxime consentaneum est, imbecillitatem luminis naturalis hic profiteri, & ad aliud superius confugere. Sane plus in veritatis cognitione ejusq; persuasionem apud alios, proficimus, si ubiq; intra carceres ratiocinandi nos contineamus, nec ultra intellectus aut voluntatis divinæ communicationem scientiam nostram extendamus. Scire autem velle, quid DEUS possit, quid minus, est limitum humanæ naturæ positorum immemorem, impervestigabilem DEI naturam finito intellectus captu complecti velle. Imo si etiam de *voluntate DEI* in hoc argumento quærat, res non omni luce sua radiat. Si enim in naturali sphaera de voluntate DEI est judicandum, ea aliunde non potest intelligi, quam ex relationibus rerum a nobis cognitarum naturalibus. Lumen rationis autem hic debiles quosdam tantum spargit radios. Nimirum ratio nobis non nisi sequentia momenta sistit. (a) Certum hoc est, *penam ob Majestatis & auctoritatis divinæ assertionem a lege exigere*: neq; (b) negari potest, *legem nemini promittere gratiam divinam, nisi ei, qui legi omni ex parte se conformem præstitit*. (c) Certo constat, *legem divinam naturalem*, quippe naturalibus relationibus innixam, *esse perpetui valoris*, atq; obligare etiam homines *ad restitutionem*, h. e. ad perfectam compensationem eorum, quæ neglecta fuerunt, officiorum: neq; (d) *per poenitentiam* vel legi *restitutionem* præstari, vel *Majestati & auctoritati divinæ* legislatoriae inter naturas rationales satisfieri. (e) *Nullum principium* habemus, ex quo colligamus, DEUM, rebus ita constitutis, nihilominus homini, sola intercedente poenitentia, gratiam suam *extraordinario quodam modo velle* impertiri, adeoq; circa poenæ a lege constitutæ executionem dispensare. (f) Dubium est, *an non æconomia & imperium DEI in naturas rationales exeat*, ut DEUS plane nullam poenam, ubi verum delictum adsit, sine satisfactione remittat? (g) Ratio hoc intelligit, si vel maxime dispensatio in quibusdam casibus esset admittenda, *eam tamen non ad omnes promiscue esse extendendam*, quum dispensatio nunquam habeat locum, nisi ubi gravissimæ eam postulent causæ. Omnibus enim dolorem & detestationem malefactorum tametsi seriam, constantibus, promiscue poenam remittere, est Majestatem & auctoritatem legis-  
lato-



latoriam imminuendi suppeditare occasionem. (h) *Quantum ad penam naturalem*, apertum est, DEUM non dispensare. Certe enim si quis sibi morbum, vel paupertatem, vel infamiam, vel odium hominum, aut aliud malum flagitiis suis sibi attraxit, minime videmus DEUM eos, qui serium ob sua peccata concipiunt dolorem, & mentem mutandi consilium, ab eo, ordinario causarum naturalium agentium motu impedito aut mutato, liberare: qua de re mox plura. Restat igitur, (i) ut sapiens *tutissimum statuatur*, eamque partem eligat, in qua *superpondium quoddam* sensu vero subtilissimo deprehendere potest, & si ab omnibus mentis fluctuationibus plane liberare se cupiat, *altius principium circumspiciat*, quod eum plenissime hac de re instruat, ita, ut nullum amplius relinquatur dubium.

§. XI. *Pœnæ divinæ*, quoniam a DEO infliguntur, *auctorem habent Ens perfectissimum*, quod *semper agit modo perfectissima suæ naturæ convenientissimo*. Ergo *pœnæ quoque divinæ* concipiendæ sunt ut *Enri perfectissimo*, quod nihil agit contra perfectiones naturæ suæ, *convenientes*. Unde in pœnis divinis *nihil* concipiendum est, quod *perfectissime summi Numinis naturæ*, prout a nobis cognosci potest, *ullo modo sit contrarium*. Hinc *pœnæ divinæ in principio suo*, h. e. in voluntate divina, quæ punire sibi propositum habet, spectatæ perperam concipiuntur *per affectum vindictæ cupidum*, qualis in ambitiosis & ira abreptis hominibus dari solet. Male ex doloribus per pœnam in homine peccante excitatis, *aliquid in animo DEI refrigerium* existere existimatur. Rectius pœnæ divina *physice magis per potentiam divinæ effectum naturæ peccant molestissimum & maximos dolores createm*, quam *moniter per affectum animi ex dolore punitorum voluptatem captantius fieri* censetur, quum nulla major imperfectio animi isto affectu excogitari possit.

§. XII. *Pœnam divinam naturalem* supra monuimus esse malum cum peccato, naturali nexu conjunctum, & ab ipso homine per actum vitiosum contractum. Maximo itaque præjudicio laborant illi, quibus *ridiculum videtur mala*, quæ naturali nexu cum peccatis coherent, pœnas dicere divinas. Excipiunt quidem, naturali ea mala nexu fluere ex peccatis, absurdum igitur esse, ejus rei auctorem facere DEUM. Sed infirmum est assertum: *Quicquid naturali ratione procedit, illud non potest dici divinum, nec ad DEUM tanquam auctorem referri*. Præjudicium hoc vulgi est, nihil a DEO oriri putantis, nisi quando DEUS immediate & extra ordinem influit, & tandiu DEUM nihil agere, ubi natura solito suo ordine movetur. Dicitur non potest, quam perniciosum hoc præjudicium sit ad fundamenta veræ religionis apud



alios dubia reddenda. Sapiens hic longe aliter judicat. Nec enim istud solum a DEO est, quod naturæ viribus fieri non potest, ut miracula communem naturæ cursum excedentia: sed etiam illud a DEO proficitur, quod ordinariis naturæ viribus producit. Nimirum quum DEUS auctor sit naturæ, totamque naturam sapientissime disposuerit, ut certos effectus pro diversarum circumstantiarum ratione edat, atque eam adhuc potentissima sua virtute conservet: eo ipso quoque omnes causarum naturalium motu determinato, non libertate rationis, gaudentium effectus naturales, & ex essentia rerum fluentes, ad DEUM auctorem sapientissimæ hujus universi structuræ, atque elegantissimæ dispositionis ac relationum naturalium, sunt referendi. Unde minus recte judicant, qui fertilitatem agri, fructuum ubertatem, sanitatem, & contra caritatem annonæ, tonitru &c. DEUM causam habere negant, ideo quod ex naturalibus causis ista omnia dependant. Cogitent, obsecro, causas naturales, & DEUM, h. e. causam omnium rerum primam, a qua omnia reliqua entia essentiam suam & omnem operandi vim acceperunt, non debere sibi invicem opponi, sed subordinari, & istarum dependentiam ab hac semper in memoriam esse revocandam. Nec obscura hinc potest reddi ratio, *cur poena naturalis*, quantum ad ipsum malum attinet, *precibus, penitentia, & reditu ad DEUM, nequaquam tollatur*. Scilicet poena ista naturalis est malum, quod ex naturæ ordine, peccata sequitur. Naturæ autem ordinem non facile DEUS mutat, si malum non sit tanti momenti, ut propterea naturæ contraeat. Neque vero id cum amore DEI, quo in hominem sibi reconciliatum fertur, pugnat, quum istud malum hominem in promovenda summa felicitate non impediatur, quin potius ei in medicinam cedere, eum prudentiorem & magis cautum in posterum reddere, & ad concipiendam summi Numinis reverentiam atque sanctissimum ejus in peccata odium penitius cognoscendum conducere queat.

§. XIII. *Pœna divina in futuro ævo insigenda* pertinet ad odium DEI justissimum & perfectissimum, quo pertinacem peccantium in hoc ævo malitiam prosequitur, itemque Majestatis & auctoritatis suæ gloriam luculenter demonstrandam. Eam ipsam vero ob causam *gravissimi* pœnarum istarum erunt *cruciatu*. Quamquam vero non negem, *totalem hominum malorum destructionem immediate cum morte conjunctam*, esse maximum malum, a quo sapiens merito abhorreat, quum nihil stultius esse possit, quam ob brevem & inanem voluptatem, qua natura peccans in hoc ævo fruitur, futura summa felicitate, quæ in conjunctione cum DEO arctissima consistat, se sponte sua pri-



privare: ea tamen omnem pœnam in futuro ævo absolvere non videtur, quum nihil magis protervi & malitiosi peccatores, quam tale quid, appetent. An vero pœna futura *in sola pœna damni*, i. e. in exclusione a summa felicitate, *an simul in pœna positiva* sit constituta, ratio non intelligit. Hec tamen certum est, si etiam dicas, in privatione omnis boni eam consistere, gravissimas tamen eas nihilominus esse posse. Quod si enim ponas, hominem ab omnibus bonis hujus sæculi, quibus voluntas ipsius unice affixa fuit, cum violentia abstractum, *desideria sua habitualia, eaq; insatiabilia* retinere, quibus tamen *nullum prorsus bonum respondeat*: necesse est, ut molestissimus ex ista ipsa carentia existat sensus. Quod ut magis vivide percipias, sihas tibi velim hominem *vehementer aliquid appetentem, nec tamen id, quod appetit, obtinentem, sed spe fallaci consumptum*: perpende, quam animi ægritudinem, quos cruciatus, quos angores ille perferat: nihil est, quod ipsum possit suaviter afficere, nullus somnus, nullus cibus, nullus potus, nullum commercium cum amicis dolores ejus quodammodo allevare aptum est. Omnis voluptas convertitur in tristissimum mœrorem. Jam considera, quos cruciatus in animo parere debeat exclusio ab *omni bonorum vel minimorum genere*, in animo, inquam, *inexplebilem bonorum stim. extinguere cupiente*: quos angores trahere debeat *remotio earum rerum omnium, quæ affectus animi in hoc ævo sollicitaverunt, sibiq; totos manciparunt*.

§. XIV. Neq; ratio de eo quicquam cognoscit: *an futuri ævi pœna futura sint æternæ?* quoniam rationi obscurum est, utrum æternitas pœnarum necessario pertineat ad auctoritatis legislatoris ac Majestatis divinæ assertionem. Contrarium quidem demonstrare conatus est Mr. Martin de la religion naturelle P. I. c. 15. p. 266.--271. Rationes apud ipsum deprehendo sequentes. I. Primo dicit, pœnam divinam tam diu durare, quam diu DEUS & Majestas ipsius perduret, hinc nullum ejus fore finem: offensam videlicet esse infinitam, quum eâ ipsâ violata fuerit infinita Majestas: pœnam, autem infinitam esse debere, ut inter eam & offensam debita reperiat pro- portio: jam autem pœnam non posse esse infinitam ratione valoris pro- pter vilitatem naturæ pœnam sustinentis: necesse itaq; esse, ut infinita sit, ratione durationis: hanc enim solam esse, quæ in nudam naturam creatam, cadere possit. Sed ex hac argumentatione plus non sequitur, quam DEUM, si velit, jure pœnas infligere posse infinitas, ita, ut peccator de injuria sibi illata conqueri non possit. Eum autem velle, inde nondum clarum est. Neque enim consequentia clara est in argumento: DEUS offensus est infinitus. Ergo



Ergo poena DEI necessario est infinita. Vel: Lex Entis infiniti est infracta. E. poena, qua Ens infinitum offensam suam vindicat, necessario est infinita. Ratio enim non intelligit, proportionem inter poenam & offensam Entis summi & infiniti, præcisè in infinitate esse quærendam. Satis ad ejusmodi proportionem ratio esse autumat, ut hominibus poenæ tam graves infligantur, ut illi sensu suo immensam summi Numinis potentiam experiantur. Sane non firmior nexus in hoc argumento est, quam si quis ita vellet concludere: DEUS est infinitus. E, nullus cultus ei placet, nisi sit infinitus. II. Deinde rationem asserere negat, DEUM velle de juribus justitiæ suæ in sceleratos cruciatus ad judicatos aliquid remittere: & omnia, quæ de misericordia divina possint profertur, nihil facere ait ad probandam liberationem & salutem istorum miserimorum hominum, quippe qui DEUM novis criminibus & offensis irritare non cessent, nisi quis statuere vellet, poenitiæ inter istas poenas locum relinquere, quod statuere esset fictiones novis fictionibus cumulare. Sed primo quæstio adhuc est: *An æternitas poenarum pertineat ad illa jura DEI immutabilia? deinde utrum miserissimi isti homines inter ipsas poenas amplius sint peccaturi, hic non disputamus: pone rem ita esse, certe inde ne uti quam sequitur, nullum dari posse poenarum finem, præsertim quum DEUS eos non debeat necessario ad sedes beatorum transferre, sed post longas seculorum series, si velit, in nihilum possit redigere.* III. Dicit, poenas istas non posse finem capere nisi per actum singularem misericordiæ DEI, quæ pro fundamento habeat non nisi libertatem DEI absolutam de eo vero, utrum Deus velit, non posse aliunde constare, quæ ex speciali revelatione DEI. Verum hoc non probat æternitatem poenarum, sed tantum ostendit, sententiam contrariam de poenarum istarum termino, nulli fundamento inniti. At non sufficit ad thesicos veritatem adstruendam, ostendisse, adversarium nihil certi posse affirmare: nam quæstio potest esse *de incognito*, ubi plane nihil potest affirmari, nihil negari, uti hoc loco. Huc accedit, quod adversarius dicere possit: *Ipsam destructionem post longum seculorum decursum seculorum* quodammodo etiam ad auctoritatis & majestatis divinæ legislatoris demonstrationem pertinere. IV. Sententiam contrariam asserit malitiæ hominum patrocinari, nec homines ad vitia fugienda incendere. Sed quod hæc doctrina in abusum a pessimis hominibus trahatur, id dicit adversarius eam commune habere cum aliis doctrinis nobilissimis. Abusus autem ille ei tantum adheret per accidens. Nam ratio dicitur, malum etiam per unicum tantum seculum duraturum, esse fugiendum cum omni diligentia.



## S. XV.

Quamquam vero, uti haecenus demonſtravimus, *ratio nihil pro aeternitate quod certo affirmet, habeat*; attamen etiam ex contraria parte nihil afferre poteſt ad ſtabiliendam de ſine & termino earum poenarum ſententiam. Unde merito improbat<sup>r</sup> ſententia Hobbeſii (quam cum aliis etiam communem habet) quando in Leviath. c. 44, de regno tenebrarum p. 300. ait: *Mibi vero nimis durum videtur de Deo dicere, qui Pater eſt miſericordiarum, qui facit in caelo et in terra, quicquid vult, in cujus manibus ſunt corda omnium hominum, qui in hominibus operatur tum facere tum velle, & ſine cujus gratia libera neceſſo habet, neque inclinationem ad bonum, neque reſpiciſcentiam a malo, quod peccata hominum cruciatibus extremis, majoribus quam quicquam imaginari poteſt, & ſive ſine temporis punire velit.* Sed (a) primo notandum, quod bonitas Dei & benevolus ejus in homines affectus non debeat aliis attributis & relationibus Dei opponi: Unde id quoque firmiſſime tenendum, quod idem Deus, qui eſt Pater miſericordiarum, qui facit in caelo & in terra, quicquid vult &c. leges quoque ſuas ſanctiſſimas inviolatas, earumque auctoritatem ſartam tectamque velit. Conſiderandum porro, quod quum offenſa ſummi Numinis, ſi recte perpendatur, ſit graviſſima, DEUS quoque iſtum Majeſtatis ſuae protervum & pertinacem contemptum aeternis poenis jure poſſit vindicare. Jam de voluntate Dei quaeritur: An DEUS velit aeternas poenas decernere? an vero, *auctoritate legislativa & Majeſtate ſua per graviſſimas longa ſeculorum ſerie toleratas poenas ſatis demonſtrata*, ſinem illis cruciatibus per destructionem imponere velit? hoc certe non poteſt ex miſericordia DEI infinita colligi. Quale enim habemus principium, ex quo intelligamus, miſericordiam jam magis debere valere, quam auctoritatem & Majeſtatem legislativam? vel ſi dicas, etiam per destructionem odium Dei legislativum manifeſtari; quale habes principium, ex quo cognoſcas, DEUM potius hoc modo per destructionem aliquando ſecuturam, quam per aeternam cruciatuum continuationem, Majeſtatem & auctoritatem ſuam legislativam demonſtrare velle? (b) Deinde illud: *Mibi nimis durum videtur de Deo talia dicere*, non eſt judicium rationis, ſed praepudicium ex affectu, & quidem ex motibus humanitatis ortum. Hoc praepudicii genus familiariter eſt hominibus, et quo maiorem ſpeciem virtutis ſolet induere, eo minus animadverti conſuevit, conſiſtitque in eo, *ut homines qui natu-*



ra benigna gaudent, facile miseria aliorum secti possunt, & tenero quodam affectu in alias res feruntur, in questionibus illum affectum tangentibus, secundum teneros animi sui motus iudicium ferant. Ex illo affectu plurimos iudicare videas in variis questionibus, ubi ratio aliquid, quod non satis cum illis motibus convenit, dicitur, v. g. quando quaeritur de supplicii capitalibus et magnos cruciatus involventibus? item de eo: an parentem sceleris reum iussu Magistratus fas sit occidere? an quum infans vel claudus in angustiore via, per quam mihi ob mortem a robustiore intentat am fugiendum sit, verferetur, ita eum submovere liceat, ut etiam in periculum vitae conjiciatur? an in naufragio, ubi quis tabulam occupavit duorum non capacem, alium, qui eandem tabulam simul amplecti velit, prohibere liceat, etsi eo ipso hic perire debeat? &c. Eodem affectu plurimos adductos exilimo statuere, poenarum divinarum finem in futuro vivo expectandum esse, praefertim si ex illis, qui ipsis sanguine vel affinitate juncti fuerunt, quosdam istis poenis obnoxios factos esse suspicentur.

## §. XVI.

Tandem ut ad poenam divinam mediatam veniamus, eam diximus esse poenam, a Magistratu auctoritate & iussu Dei hominibus ob scelera societatis saluti contraria inflictam. Itaque omnis etiam poena a Magistratu legitime inflictæ est poena divina. Hinc poenæ, quæ auctoritate & iussu Dei hominibus a Magistratu infliguntur, delinquentes obligant, ut poenæ ob scelera satis probata, & sub humanum forum cadentia, libenter sese submittant. Ad poenam enim divinam, quam Deus ipse vult infligi hominibus, sustinendam necessaria est obligatio, quum voluntati divinæ in omnibus sit parendum. Eam autem poenam Deus vult a Magistratu irrogari, quæ cum societatis tranquillitate nexum habet. Si igitur delictum sit manifestum, sique salus publica id exigat, ut ad coercendos alios poenis afficiatur delinquens: omnino non solum Magistratus punire, sed civis etiam poenis iustis sese submittere tenetur. Uterque enim tum princeps, tum civis ad salutem reip. tuendam suam, quantum potest, conferre debet. Imo eoque se protendit hæc obligatio, ut si delinquens morte magis, quam vita sua societatis emolumenta procurari sentiat, mortis quoque supplicium sustinere haud recusare debeat. Quare poenam a Magistratu legitime iussu & auctoritate Dei infligendam qui variis fraudibus effugere aut eludere conatur, poenæ divinæ se tentat subtrahere. Parum contra hæc fundamenta valet, quod dicunt, imitari poenam esse imponendam, quum ali-



*as finem suum non obtineat.* Nam primo finis pœnarum obtineri potest, si quis invitus siue lubenti & submisso animo pœnam excipiat, imo hoc si fiat, facilius emendationis spes concipi potest: *deinde* nulla adest vis concludendi, si quis ex se, quod quis invitus aliquid aggreditur, obligationem ejus ad faciendum vel patiendum negare auit. Alias nec fures ad ablatum restituendum obligari dici deberent. Ubi Magistratus *non habet jus puniendi, ibi pœna ejus divina non est, adeoque nec obligat.* Unde pœna Magistratus se non extendit ad affectus societati incommodos, nec ad sententias & cogitationes hominum, nisi de earum proplatione societati noxia sermo sit; nec ad vitia interna cultum Dei internum sufflaminantia, neq; ad crimina occulta omniumque in societate degentium scientiam fugientia. Hinc etiam ad talia delicta, quæ alii in societate viventes ignorant, quæque privatim, nemine sciente, patrata sunt, Magistratui manifestanda, atque hac ratione divulganda, reus vera facti pœnitentia ductus, & omni contentione damnnum reparare studens, nullo obligationis vinculo adstringitur. Pœnæ n. nomine Dei ab hominibus infligendæ *ad emendationem aut enervationem delinquentis, ad exemplum iustitiæ statuendum, & scelestos homines terrendos pertinent.* Si autem delinquens sponte sua animum mutet, nec quicquam in societate ea de re cognovit fuerit, nec in societate turbæ excitentur; quilibet intelligit, pœnas hoc casu ex parte delinquentis, & societatis, itemque Magistratus, non esse necessarias, præsertim quum ipsa delicti manifestatio societati noxia esse possit. Alia tamen foretratio, si summum Numen quædam delictorum genera simpliciter, eo quod delicta sint, puniri lege positiva præceperit. Sed an & quanam ejusmodi delicta sint, S. literarum interpretibus excutiendum relinquimus.

§. XVII.

*Omnia pœna humana injusta, h. e. quæ voluntati Dei sit contraria, non est divina,* quandoquidem omnis pœna divina mediata, cujus executio hominibus incumbit, *auctoritate & jussu Dei* niti debet. Hinc pœna, quam Magistratus, nulla divinæ voluntatis ratione habita, ex vindictæ studio, ex languinolento ingenio, ex voluptate ex doloribus miserorum hausta, ex dominandi cupiditate, ex veritatis suppressendæ desiderio &c. innocenti irrogat, verbo: *omnis pœna, quæ injuriam infert,* neminem per se obligat ad eam tolerandam. Unde, si possit, talem injustam pœnam licite quilibet effugit, nec peccat is, qui consilia effugiendi suppeditat, aut ipse opem ferre conatur. Sic v. g. recte fecit laudatissimus princeps Ele-





203  
2046.

Etor Saxonix, Fridericus, ubi Lutherum publico Comitiorum Wormati-  
ensium decreto, immerito proscriptum, præsidio suo amplexus,  
eum in arcem Wartburgensem deduci curavit. Sed cavendum,  
ne quis poenis dignus hoc prætextu abutatur, & Magistratui  
legitime punienti se temere subtrahat. Sane quicumque spernit  
poenam Magistratus legitimam, poenam divinam spernit. Quum ve-  
ro omnis poena Magistratus auctoritate & jussu Dei infligi debeat, ma-  
nifestum est, potestatem Magistratus non esse independentem, sed limi-  
tatam, adeoque ad summi Numinis nutum componendam. Qua  
de causa etiam princeps, ubi Deus poenam vult imponi, dispensare nul-  
lo modo potest. Scilicet sine respectu ad utilitatem societatis publicam, &  
revelationem divinam supernaturalem, vel minimam poenam remit-  
tendi Magistratus facultatem habet nullam. Atque hoc sensu verum,  
quod Stoicis placuit, pronunciatum est, veniam a sapiente dari non debe-  
re. Ita enim Seneca l. II. de Clement. c. VII. ratiocinatur: Venia est pœ-  
næ meritæ remissio. Ei ignoscitur, qui puniri debuit; sapiens autem  
nihil facit, quod non debet, nihil prætermittit, quod debet.

§. XVIII.

Ulterius meditationis catenam protrahere facili opera possemus,  
nisi modestia nos moneret, ne lectoris patientia diutius abutatur. In-  
interea non dubitamus, nos a cujusvis æqui rerum æstimatoris judicio hoc  
consecuturos esse, ut nostram operam, quam in argumenti ardui & utilissi-  
mi evolutione collocavimus, haud inanem & supervacaneam fuisse statu-  
ant. His enim principiis omnis timor Dei nititur: et quemadmodum omnis  
cultus Summi Numinis perverfus vitium suum ex falsis rerum ad Deum  
pertinentium, ideis trahit; ita etiam timor Dei varia superstitione corru-  
ptus sit oportet, qui ex vana & falsa de pœnis divinis persuasionem nascitur.  
Deinde quum doctrina de Deo revelata arctissimo vinculo cum naturali  
scientia nostra colligetur, & in argumentis maximi ponderis, ex claris con-  
ceptibus Philosophicis non exiguam lucem capere soleat intellectus: hæc  
quoque tractatio ad hunc finem relata, esse sterilis non videtur. Neque  
enim dubitem, his notionibus imbutum, in ardua materia de satisfactione  
collaudandi nostri Mediatoris, nihil, quod Dei perfectissima natura  
indignum sit, esse concepturum.

S. D. G.





VD 18


ULB Halle

3

007 017 200











6-1995  
7713,10  
M. de

MEDITATIONEM  
DE  
**POENA DIVINA**  
LEGINATURALI  
ANNEXA

EX RATIONIS PRINCIPIIS DUCTAM  
PERMITTENTE  
AMPLISSIMO  
**PHILOSOPHORUM ORDINE**  
IN ACADEMIA LIPSIENSI

D. IX. SEPTEMB. MDCCXIII.

SUB PRÆSIDIO  
**M. DANIELIS GOTTLIB  
METZLERI**

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

RESPONDENS

**DAVID GOTTLOB BURCARDUS,**  
DOBELA MISNICUS.

L I P S I Æ,  
LITERIS JOHANNIS KNAUTIL.

